1741

109

Smarkowski Józef

PROMPTUARIUM

ERUDITIONUM POETICARUM

Ex Claſsicis authoribus, cum ſuis quantitatibus depromptarum.

Propter faciliorem in cudendo carmine copiam.


Decus & ornamentum metrorum. Josephi Boguscki

Studioſæ ac Curioſæ Pòëſeos Juventuti

Jn Elegiis Epiſtolaribus ACCOMMODATUM

S A N D O M I R I Æ.
Typis Clari Collegii Goſtomiani Societatis JESU
Annò Domini 1748.

JN PATRITIA STEMMATA.



Prægreditur Pogonia Orbem: tua LUMINA, & aſtra,
Tu ſpem præcedis: Quid? niſi ſumma tenes.

AD CELSISSIMUM PRINCIPEM

ADAMUM

CZARTORISKI

CELSISSIMI & JLLUSTRISSIMI PARENTIS.

AUGUSTI ALEXANDRI

Jn Klewań & Zukow PRINCIPIS.

CZARTORISKI

Palatini & Generalis Terrarum Russiæ Varsaviensis, Kałuscensis, Bernensis, Latovicensis, Lubochnensis, Utelisnensis, &c. CAPITANEI.

Summæ Spei FILIUM.

DEDICATIO.

POstquam in CELSISSIMAM Domum Tuam, Primæ Orbis Lechici convenerint Dignitates, Regio conjunctæ Sangvini influxerint Purpuræ, omnisq; Titulorum apex ac Decus Patriæ, ſeſe intulerit, etiam Muſæ Purpureum Limen adire ambiunt. PRINCEPS CELSISSIME Humiles etenim, à Domo Celſiſſima cupiunt elevari: Hebetes, à Paterno POGONIA acumen accipere: Rudes, magis quàm Promæthei facem, ab JLLUSTRISSIMO LELIVA lumen derivare: à Tua rara dociliq; indole modeſtiores, ab animo ad ſumma omnia nato, audaciores fieri in voto habent. Peregrinæ non ſunt (quia in obſequio Domus Tuæ

na-

natæ) quamvis Studiosæ Juventuti Polonæ, insuppetias cum Promptuario veniant; sed quia tenuitatis suæ consciæ, in Lucem publicam prodire non ausæ, sine Nomine CELSISSIMO, certo Musarum Præsidio. Illius etenim cum rectefactorum gloriam, æternatura revolvet Posteritas, musæ immortales erunt: cum in Senatu data Oracula, Tripodem audient: cum profusa plusquam nili ostio in omnes beneficia, Castalium bibent fontem. Non humile ambiunt, humiles sint quamvis: sed cum Polonæ Juventutis pæne Florum PRINCEPS, & in CELSISSIMO POGONIA DUX censearis, sequaces Plantarum tuarum, ut erigas, admitte. Fatentur, impares tuis Laudibus, sub quibus literaria fatiscit Res Publica ferre humeros: & ideo in cultus abeunt ab encomiis: ac plenam Orbe, quam in Te efformasti, Paterni oris adorant Majestatem. Tu ipse capacissimâ, eaq; ad summa nata Indole, adeo omnes dotum præstantias es complexus, ut ad gerendæ Rei Publicæ fastigium, præter ætatem, nihil desideres. Tecum Literarius honor enutritus: Tibi Scientiarum facultates congenitæ: innata generosissimi animi magnanimitas: ut citra encomiorum assentationem, Tuam ne? an eruditæ Palladis frontem? Tuum ne? an Heroici Martis pectus? evenit magis admirari quam, laudare.

dare. Quid, illa compositæ mentis modestia? Quid, circumspecti oris gravitas? Quid erga Pares affabilitas? erga minimos benevolentia? magis hæc excessêre laudem, quàm ætatem tuam. Cùm itaq; elogium omne superaveris, non Te Orbe præfero, quem fama CELSISSIMI Nominis implevisti: non astris infero, quibus in JLLUSTRISSIMO LELIVA facem prætulisti: sed ut illud vivas ævum, quod pollicentur Cæli, Optat Patria, expectant posterorum Posteri, ego voveo.

CELSISSIMI PRINCIPIS

Servus infimus

JOSEPHUS SZYSZKOWSKI,
C. C. Neocorcinensis Subdelegatus Juratus.
mp.

Ad

Ad Benevolum Lectorem.

Cum Polonam Juventutem, licet alias omnium scientiarum capacissimam, præcipuè verò ad artem Poëseos fere natam esse sit in comperto: solisq; exquirendarum eruditionum, quibus exornatam esse satagunt, conatibus remorari, & authorum inopia laborare, Illi ego præsenti opella subvenire volui. Tu B. L. in duobus mihi ne succenseas: Primum est, quod fere innumeras ad calculum non redegerim: nam Tibi, si pro eodem laboras, ac pariter faves perficiendum reliqui. Alterum, quod humili nec limato, non modo elevato stylo, opusculum hocce attentaverim. Quia incipientibus studendo, clarus: Tibi, ne lædas, humanus esse volui: utiq; cui, & stylum & me humilem demitto Vale.

ELE-

ELEGIA I.

Ad Juvenem Studiosum

De Diis & Deabus Supernis, Eorum insigniis, & sacrificiis, juxta commenta Pöetarum.

GAudeo Te Studiis, animumq; operamq; dedisse:
Atq; alios celeri, præteriisse gradu;
Crede mihi, Studiis colitur dum prima Juventus
Exornat summum docta senecta virum.
Et modo quæ teneris, cupidus perceperis annis
Non adiment dotem sæcula longa tuam.

Ut Juvenis didicit, frænum mordere lupatum,
Scit, vetulus quamvis non moveatur, equus.
Quem, tener in primo, didicit Luſcinia, nido
Decrepito quamvis, perſonat ore ſonum
Jn párvo liceat, ſi pumice vulnera ſculpas
Jnſculptas referent ſaxa vetuſta notas.
Eſt horum mordax, quæ diſcit prima Juventus
Ut vel in albenti cognita fronte gerát.
Gaudeo Te lætis animum ſacraſse camænis,
Convenit exculto, Muſa jocoſa, Viro.
Divinum quiddam ſpirant, mihi crede, Pòétæ
Eſt Deus in Muſis, æthereuſq; calor.
Quos legis, ipſe vides: quamvis cecidêre Pòétæ,
Æternos faciunt, metra rélicta, viros
Jnq; ſuis vivunt libris, animantur in ore
Qvorum audit præſens famaq; lausq; bene.
Jngenioſa bonum quod adornet Fabula Carmen
Eſt hæc è multis concilianda libris.
Certum eſt: non aliter primi ſcripſêre Pòétæ
Quos ſedulus relegas, forte laboris onus.
Ne quæſita tuum remoretur fabula Carmen
Hîc ego collectas ſuppeditabo Tibi.
A Dîs incipio: quales finxere Pòétæ
Et qui Regnantes ſubſtituêre Deas.

Qui

Qui ſceptro regit aſtra ſuo, dominatur Olympo
Sidereoq́; ſedet Juppiter (*a*) ille Throno.
Dicitur hic capræ primas ſuxiſſe papillas (*b*)
Nunc Dominâ ſævum fulmen habere manu
Quod jaculaturo Volucrum Regina miniſtrat
Quæ meruit titulos armiger (*c*) eſſe Jovis.
Jn Lybica colitur ſacratis cultibus (*d*) Jda
Hinc Lybici fertur Nomen habere Jovis
Huîc ſvper excelſo ſteterant altaria monte
Quæ jugulum paſſa eſt victima (*e*) Porcus erat.
A Jove qui pulſus, Terris dat Regna *Saturnus*
Eſt Deus inventor qui quoq́; falcis erat. (*f*)
Hic primus docuit ſterilem diſcindere Terram
Ducere inacceſſos ſub juga curva boves.
Hic docuit gravidas Vites plantare racemis
Ac in obaratam mittere ſemen humum
Falcibus, accretas docuit præcidere meſſes
Hôcq́; fuiſſe putant aurea ſæcla Deo
Huîc Juvenes pueros Gens barbara ſacrificabat
Dicitur & Colubris vecta Quadriga (*g*) Dei.
Muſarum Vatumq́; Deus celebratur *Apollo*

(*a*) *Ovidi: L.* 1. *metamor: & Faſto: lib:* 1. (*b*) *Politranus in nutricia.* (*c*) *Raviſius.* (*d*) *Virgi: lib:* 3. *ænei:* (*e*) *Home: in Jliade lib:* 3. (*f*) *Raviſius lib:* 1. (*g*) *Ovid: & Raviſius.*

Qui Deus in Delo (*h*) dicitur esse satus.
Et Regnum & Solium Parnassi in vertice fixit (*i*)
Fons ubi castaliâ profluit altus aqua
Pieriis dat sacra novem qui jura Camænis
Fronte gerit laurum sed latus arcus habet.
Currus equos sequitur (*k*) cedunt in sacra Juvencæ
Atq; aliud nomen Phæbus, Apollo gerit.
Delius, Ortygius Phæbus quoq; dicitur: istis
Quod natum cunæ progenuêre locis (*l*)
Bachus in Arabiæ Nysa qui nascitur Urbe
A Nymphis habuit prima alimenta sui (*m*)
Quod primus vinum bibilesq; invenerit uvas
Nysæi meruit Nomen habere Dei
Dicitur Jnachus, Liber Pater, atq; Liæus
Dircæis Thebæ quem coluere sacris
Lyncibus & Tigribus vehitur Deus ille timendis (*n*)
Frons hederam gestat, vina phalerna manus.
Mars Deus armorum, Belli, pugnæq; cruentæ
Dicitur Odrysius, Treiciusq; Deus. (*o*)

(*h*) *Ravi: in Offi: lib:* 1. (*i*) *Virgil: in Bucco:* (*k*) *Virg: lib:* 6. (*l*) *Ovi: lib:* 2. *de arti Tibull: lib:* 2. (*m*) *Statius lib:* 4. *Thebai.* (*n*) *Proper: de Ariadna.* (*o*) *Statius Pontanus. Catul. Ovi.*

Hu-

Hujus in obſequio, rixans diſcordia, pugna
Funeſtæ lites impetus ira furor
Ferreus eſt galeamq; gerit, non fronte coronam
Pro ſceptro gladium: torvus in ore Deus
Biſtoniis vectatur equis: Rhodopeia Rupes
Dat Cunas Marti dant ſua Templa Getæ.
Septicipem qui vicit Hydram, Taurumq; Leonem,
Antæum, Colubrum, & cætera monſtra maris
Numinibus ſuperis pugnax adſcribitur *Hercles*
Qui quoq; Divino de Jove natus erat. (*p*)
Murice pro Tyrio exuvias tulit ille Leonis
Pro ſceptro decuit clava cruenta manum
Robore quodq; ſuo Taurum ſuperaret atrocem
Huîc cædebatur Victima, Taurus atrox (*q*)
Hunc Thebæ coluere Deum, Thebanus ab inde
Nomine Thebano dicitur eſſe Deus
Vulcanus Deus ignis erat, qui fulmina cudit
Mulciber atq; alio nomine dictus erat. (*r*)
Hic quia deformi maculabat numina vultu
A Jove Cæleſti ſede repulſus erat.
Lapſus in acclivem dejecto corpore Terram
Crura faceſſivit: ſic pedis inde minor

(*p*) *Proper: lib:* 3. *Ovi: Ravi:* (*q*) *Seneca in Herc:* (*r*) *De Vulca: Ovid: Vale; Flac: lib;* 2. *Argon; Ponta:*

Illi

Jlli ſacra fuit Lemnos Vulcania dicta
A Lemno dictus Lemnius ipſe Deus.
Horum qui Cœlo regnabant, Prima Deorum
Mater erat *Cybeles* tum Dea prima Dêum (*ſ*)
Hanc ſuper accincti ducunt temone Leones
Hanc coluere ſuam Dindymus Jda Deam
Eſt Dea Pulchra *Venus* quæ primos civit amores
Qua fertur genitus Matre, *Cupido* puer (*t*)
Armatur facibus, quibus exhortatur amores
Huic Fanum dederant Cyprus & alta Paphos.
Quæ genus humanũ Pyrrhæ producere ſvaſit
Hæc inter reliquas, eſt *Themis* ipſa Deas
Quod gladio rectam moderatur vindice Lancem
Dicimus Aſtræam Juſtitiæq; Deam
Eſt quoq; Cœleſtis *Juno* Regina Dearum
Quæ fuit Elæo, conjuge Digna Jove (*u*)
Jlla maritales conjungit fædere dextras
Jlla puerperio parturientis adeſt
Huic ſua ſacra dedit Victrix Carthago, Mycænæ
Hanc coluit celebris ſparta Latina Deam
Cum Dea Cœleſtem flectit per ſidera currum
Pavones bijugi mollia fræna tenent.

(*ſ*). *de Cybele Virg: lib*: 3. *ænei*: (*t*) *de Venere Ovid: Stat: l*: 8. *Theb: de Themide: Ovid: Ravi*: (*u*) Ovi: *lib*: 4. *Metamor: Rav: lib*: 1. *Virg: lib*: [illegible] *ænei*;

Culto-

Cultarum fæcunda *Ceres* Reginaq; frugum
Ac Dea Cælicolis associata Dijs (*x*)
Huic Divæ primas populus sacrabat aristas
Arsit sacratis victima porca focis
Frugibus hoc animal rabido quia dente nocebat
Hinc jubet adversam sacrificare suem
Prima scientificas quia Doctrix intulit artes
Promeruit fieri docta *Minerva* Dea (*z*)
Dicitur & Pallas cerebro prognata Tonântis
Dextra hastata cui, frons galeata cui
Hanc festis aris coluerunt semper athenæ
Sacra fuit doctæ pingvis oliva Deæ
Huîc Divæ ramo quia capra adversa sacrato
Hinc in Libamen victima capra cadit.
Virginei Dea casta chori formosa *Dianna.*
Quam| colit æternus Virginitate focus
Dicitur & nemorum, saltûs, Præsesq; jugorum
Queîs solet hirsutis figere tela feris
Hanc coluit Cynthus, Delos, tum Taurica Regna
Et dabat humanus sacra holocausta cruor.
Cum foret hoc sacris durum Libamen in aris
Venanti Divæ Victima Cerva cadit
Dum vehitur curru, frænantur sub juga Cervi
Ut possit celeres præcipitare feras.

(*x*) *Plin: lib.*24. *Rav: lib.* 2. *Ovid: Fasti*; (*z*) *Ovid: Ravis: ac alij tum de sequen:*

Acci-

Accipe quos Cœlis invexit fabula Divos
Quas priſci Vates ſubſtituere Deas
Quæ ſacra, quos cultus, aras, inſignia, currus,
Cultius ut poſſis carmen habere. Vale.

ELEGIA II.

Ad Eundem

De Dijs Maris & Nemorum

NOn ſatis eſt priſcis, alto ſua Numina Cœlo
Sideribusq́; pares inſeruiſſe Deas.
Sed quia mos fuerat, quas, ſe quis ferret in oras
Per Mare, per Terras, ſeu nemus iret iter
Ut loca, quæ peteret tendenti fauſta fuiſſent
Numina præfixis attribuere locis.
Sic Deus undarum *Oceanus* Pelagiq; marisq́;
Nympharum Frater, Nereidumq; Pater.

De his Ovidi: Virgi: Statius Sylvius. Seneca. Raviſius.

Dici-

Dicitur hic, totum, quæ devolvuntur in orbem
Quod ſolus liquidas ipſe creaſſet aquas.
Huic mactabatur cultro ſub littore Taurus
Et cruor in rapidas, de Rate miſſus aquas
Et cum ſpumigeras moderatur fræna per undas
Fert Balæna vagas, poſt ſua terga rotas
Qui regit inſanos fluctus *Neptunus* in undis
Eſt Deus ac placidas qui moderatur aqvas.
Jlle Tridente minax Veſanum temperat æquor
Et currit rapidis, per mare Vectus equis,
Huic, ſi ferventis deſæviat ira procellæ
Placando, cæſus, Victima Taurus, abit:
Quodſi remigium placidas fert mollius, undas
Neptuno cæſus, ſacra ſubintrat agnus.
Nereus undivagis Deus eſt &Nauta Carinis
Ne mergantur aquis naufraga vela, cavet.
Dum quoq; navigium eſt anceps cum *Ca-
ſtore Pollux*
Adſunt jactatæ Numina prompta Rati
Sunt *Glaucus*, *Protheus*, *Phorbas*, *Melicerta*,
Palæmon.
Undarum ficti numina dicta Dii,
Sunt quoq; *Nereides* Pelagi, *Nymphæq;* Deæq;
Quarum ſi recitem nomina multa forent.

Amphirite alias præcedit in ordine Divas
Delphinisq; *Thetys* per mare vecta Jugo
Cæruleas inter *Doris* pulcherrima Nymphas
Digna fuit plures progenuiſſe Deas.
Naiades hæ præſunt fluviis, fontiq; *Napææ*,
Arbori *Amadriades*, tum *Dryades* nemori
Protegit excelſos affinis *Oreada* montes,
Hymnides Nymphæ florida prata colunt.
*Prisca Æ*tas illis mulſum fundebat in Aras
Sacraq; cum tenero, munera lacte dabat.
Dii nemorum *Faunus Sylvani*, *Pan*, *Satyriq*;
Jnter præcipuos, Numina Dicta DEOS.
His nemora & Sylvas tutari facta Poteſtas
Jn quorum, umbroſis, Regna habuere locis,
Jllis ut reliquis collata inſignia. Verum
Quæ præcingebant pinea ſerta caput
Non vectabantur: ſuperabant devia ſaltu
Cum quoq; Montanis, pervaga turba, Diis
Arcadiæ Populi Faunum coluiſſe feruntur
Huic ſupplex facta, & mænalis ora, Deo
Reddita Sylvicolis fuerit quæ Victima Divis?
Conformis rudibus, capra vel hædus, erat,
Plurima Sylveſtris regeram quid numina claſſis?
Sat feci ſtudiô, tuî Studioſe. Vale.

ELE-

ELEGIA III.

Ad quendam maledicum

De Diis Jnfereis ac Jnferni pænis juxta commenta Pòétarum.

CUr toties crudo, te contra [illegible]is in ore
Nilq; Tibi, præter peſſima verba, voves
Verba armillatis ſed vix latranda moloſſis
Et non ingenuo, verba vovenda, viro:
Cerberus immani, blateras te devoret ore,
Angvibus exedat ſæva megæra fibras,
Tartarea, Stygiæ, mergant te nocte Paludes
Aut rapiant animam, Pluto Acheronq; tuam
Proh! pudor. Jnferei Ditis ſi aſpexeris ungvem
Nil poſt hac de te, quod rapiatur, erit.
Scire cupis, nigri quæ ſunt penetralia, Ditis?
Qui ſitus, aut ſedes, qui Baratrive ſtatus?

De his Seneca. Ovid: Virg: l: 6 æneid. Proper: l. 6. 4.

Eſt illic *Lethe* primo guſtanda Palato
Quæ facit expertes, non meminiſſe boni
Damnatam mergit frontem, tantumq; relinquit
Senſum, & torturas ut patiatur, alit:
Eſt & edax *Acheron*, qui, quid quid feceris unquã
Dixeris aut, facti pænituiſſe facit
Tamq; dolorifero torquet præcordia morſu
Ut ſemper vellet non meminiſſe, memor.
Eſt ſævus *Phlegeton* furiarum plenus, & iræ
Damnatos odio, qui facit eſſe ſibi:
Hoc authore malus proprios depáſcitur artus
Jnſanoq; ſecat viſcera ſciſſa probro,
Jn ſociosq; furit, ſocii bacchantur in illum
Et vellet, nunqvam qui periiſſe, poteſt.
Luctibus, & lachrymis, plenus mærore *Cocytus*
Qui deplorandos, non ſinit eſſe malos.
Flere facit ſontes, lachrymis ſtillantibus ignem
Æterno gemitu triſtia corda movens.
Styx inimica Diis, animis inimica malignis
Qvamvis damnatis, invidioſa locis,
Et pænæ & ſceleris ſocios divexat, & atro,
Damnatos comites, nollet habere lacu,
Criminis at teſtes torquent cum complice culpa,
Exagitant mentem crimina, pæna, dolor
Mors

Mors illic ſine morte: dolor ſine fine: tenebræ
Luce ſine, & requiem non habet ira, furor,
Spe ſine cura timor, ſine vel ſolamine luctus
Et ſine frigenti, flamma, bitumen, aqua
Jnſatiata fames, ac indiga ſemper egeſtas
Attenuans macies, pallor, in ore rubor
Semper inexhauſti millena examina morbi
Vita infelici non moriturá ſtatu.
Nec ſatis eſt. Orci reſtat tibi noſſe Senatum
Qui Rex, qui Judex, quiq; miniſter ibi eſt.
Picea ſulphureo *Pluto* qui ſceptra Theatro
Gyrat, Rex ſtygium qui regit igne chaos,
Hujus ad imperium, furiæ, rabiesq; necesq;
Mors, dolor, ira, furor, fata, doliq; timor
Ultrices flammæ, vibrataq; fulmina, manes
Vexant damnatum, turba moleſta, gregem:
Cerberus aſſeſſor, metuendo territor ore
Gorgoneo, tumidum cui caput angve riget,
Putrida peſtifero, ſanies cûi profluit ore
Et cruor, & tabum, & livida dira lues.
Jmmanis *Minos* tenet altam Judicis urnam
Severo damnans, colla ſceleſta foro
Flammeus eſt oculis, igneſcunt fulmina fronte
Jgnivomusq, movet, pectora ſæva, furor.

Cru-

Crudelis, diræ eſt, & non placabilis iræ
Cui ſemper rigido, ſtat nova pæna, ſinu
Æacus infrendens, *Rhadamantus* torvus, uterq;
Jnfereæ, fratres fulmina ſæva, ſtubæ
Hi miſeros adigunt, coguntq; piacla fateri
Et culpant faſſos crimina facta, reos:
Eſt quoq; tartareus, pereuntia colla *Charontes*
Qui per inacceſſas ad ſtyga ducit aquas.
Non ſatis eſt miſeros, tantis ultoribus angi
Ad deterrendos, ſunt nova monſtra, reos:
Noctigenæ *Lacheſes*, *Atroposq*; *Megæra Chimæra*
Umbrarum Dominæ, lucifugæq; Deæ
Ardentes flammis *Proſerpina* abuſtaq; *Cloto*
Tiſyphone æternos, quæ ſtruit igne, rogos
Luctifica *Alecto* tetro quæ cingitur angve
Et vomit exeſo, fæda venena, labro
Hæ velut atroces in fæda cadavera corvi
Jnſiliunt furiæ, & colla maligna premunt.
Hæc præter ſævi ſpectacula dira cocyti
Eſt pænæ, infereis, ſcena dolenda, locis.
Tantalus effuſas à Dis damnatus ad undas
Jn mediis, ſitiens Tantalus, aret aquis.
Dumq; ſitim refluis tentat compeſcere lymphis
Hauſturam labilis diffugit unda ſitim:

Eſu-

Esurit æternùm, ſtomacho jejunus inani
    Nam fugiunt ſtomachum, qui valuêre cibi,
Cumq; ori appropiant ſatiantia poma famentis
    Exſiliunt avidis, poma reverſa, labris
Siſyphus in montem qui Saxa ruentia tollit
    Continuo, repetit Saxa relapſa, ſitu,
Cum fixiſſe putat, ſituatum in culmine Saxum
    Vertitur ex imo Saxa movere loco.
Et cæptum non finit opus, nunquamq; quieſcit
    Æterno gyrans pondera lapſa jugo
Hîc quoq; Tartareæ *Tityus* ſedet eſca, volucris
    Paſcitur in cujus viſcere, vultur edax.
Qui jecur abſumptum poſtquam corroſerit omne
    Mox nova, conſumptis, naſcitur eſca, fibris.
Nec ſatur eſt vultur, Tityus nec deficit eſcæ
    Jn pænam hic vivit, paſcitur ille, ſuam.
Danaides vacuos fundunt in dolia fontes
    Et fugiunt vacuo, fuſa fluenta, cado.
Stagna, lacus, fluvios, mare, divacuaſſe putantur
    Stagna, lacus, propriis, & mare ſtagnát aquis,
Quem nunquam plenis poſſunt infundere lymphis
    Coguntur vacuum, fonte replere cadum.
Caucaſea ſub rupe dolet ſua damna *Prometheus*
    Sævis vulturibus, præda voranda, datus.

Ni-

Nititur angentes ſua corda, arcere volucres
Arcendi prohibet dextra ligata modum
Jnvalidasq; dolet vires, dolet ingvina carpi
Et Semper Vires ut patiatur habet.
Cogitur hîc alias *Jxion* ferre cataſtas
Cujus perpetuæ, membra revicta, rotæ
Fertq; refertq; rotam, gyroq; revolvitur uno
Et pænæ curſus irrequietus agit.
Hæc eſt Tartarei triſtiſſima Regia Ditis
Hic locus eſt cûi Te redere ſponte cupis
Nonne times? tragicæq; caves ſpectacula ſcenæ?
Et forſan, Si non deteriora pati?
Ergo Tartareos caveas geminare moloſſos,
Audit ſæpe malas, turba vocata, preces:
Mente etiam caveas metuendvm tangere auernũ
Et queîs aſsveſti, deſine verba. Vale.

ELE-

ELEGIA IV.

Ad amicum

De Exemplis amantium Literatos

VEra doles: juſtiq; refers tormenta doloris
Et nec poſtremam dulcis amice, notam.
Ridetur ſapiens: momus laudatur in (aulis
Atq; datur Stolidis, laurea prima jocis.
Quod grave, quod ſummum, ſolidum, memorabile, dignum,
Dicitur abſtruſum, fabula ficta placet.
Et modo vir doctæ, prudens ſcrutator arenæ
Proh! dolor, opprobrium! dicitur eſſe vafer,
Nec pudor eſt Docto veterum monumenta legenti
Dicere contemptim: Vir ſápit iſte ſcholam.

De his Plutar: Laer: Plinius. Pontanus. Volater: Ravis:

Cujus sit vitium quæris? Populine? vel ævi?
Quod careat stallo, Docta Minerva suo?
Ex annis ævum constat: de mensibus anni
Jmplerunt menses, ordine quisq; dies
Mensuram peragunt oriente hæc omnia sole
Unus qui est semper, seu cadit, aut oritur.
Hic sol stultitiæ lucet, doctæq; Minervæ
Nec tamen hæc ideo docta, vel illa minus
Hic sol prælucet cæno, qui lucet & auro
Nec tamen hoc pretium mutat & illud habet.
Hic sol qui lucet Regi, prælucet agresti
Jlle tamen Rex est, Rusticus arva colit.
Credo magis summos homines, populumq; peritū
A genio tandem degenerasse suo.
Vis tibi commemorem quo priscus honore Senatus
Quo Reges Doctos, quoq; habuit populus,
Devictor mundi summusq; Philippida Regū
Qui nisi victrici, Bella mucrone tulit
Attamen & belli comitem, sibi fecit Homeri
Iliadem, & gemmis appretiavit opus.
Jdem & Aristoteli, sibi qui præcepta legebat
Erexit Patriam, juraq; prima dedit.
Hic quoq; dum claras jussisset sternere Thebas
Pindarici vatis parcere jussit humo.

Ela-

Elato faſtu Dionyſius ille Tyrannus
Quo nullus Regum, quem coluiſſet, erat.
Attamen ad Siculos Plato dum pergeret hoſpes
Obvius ornatâ, dicitur iſſe Rate,
Expoſitum Navi albâ excepiſſe quadrigis
Hocq; modo doctum ſe coluiſſe ſophum
Quantum? Zenonis dignatæ nomen athenæ
Et quam ſit docto gloria facta viro!
Præter, quod populus claves demiſerit Urbis
Aurea vitta ſuum ſed redimita caput.
Affrica dat teſtem, quæ Scipio fecerit Ennîo
Cui ſtatuam medio juſſit habere foro
Et poſt fata ſui, voluit ſimulacra Pòétæ
Extremis feriis, contumulanda ſuis.
Barbara Gèns Scythiæ, manſvetæ neſcia muſæ
Externo ſemper gens inimica viro.
Quod niſi naſonem reſciverit eſſe Pòétam
Extîncto fatis, buſta ſuperba dedit.
Cneius Pompeîus cui totus flexerat orbis
Hoc Poſſidonii, duxit honore Domum
Ut quoties clauſas ſapientis abîret ad ædes
Lictorem vetuit tangere more fores.

Occaſus cui ſe, cuî ſe demiſerat Ortus
Submiſit faſces limen ad usq; Viri
Virgilii Auguſtus natalem quo libet anno
Feſtivo legitur concelebraſſe modo.
Hujus dum carmen Circo legeretur aperto
Surgere Romanus conſtituit populus.
Sic paucum Antilochi carmen, Liſander amavit
Pro quo auri plenum contulerat pileum.
Conquiri doctos juſſit Ptolomæus alumnos
Atq; ſcientificis Regia dona dabat:
Qui effudit fiſcum in centena ſalaria doctis
Fundator primus Veſpaſianus erat:
Qui doctis muſæa Viris, ſimul annua dona
Conſtituit: Studii quo duce crevit honos
Hic quoq; librorum Proviſor, fecit ut ingens
Sumeret [illegible]ium Bibliotheca ſuum.
Antonius fuſi non tantum prodigus auri
Diſtrictus Doctis reddidit atq; viris.
Sic priſci titulis, donis coluere ſcientes
Dignati doctos ſemper amore viros.
Jnvenies noſtra ſimiles ætate Parentes
Qui ingenuas artes, Prolis amore fovent:
Qui

Qui pretiant Doctos, dant præmia justa scienti
Et queis non refugit doctus ab ore liber
Sunt: sed qui doctam, melius novere Minervam
Artibus ac dotes qui excoluere suas
Æmula qui priscis opponunt sæcula sæclis
Et Patriam doctos semper habere probant.
Hos igitur votis, hos summis laudibus imple
Ut superent Latii sæcula amice. Vale.

ELEGIA V.

Ad Quendam

De exemplis, ex misero Statu Fortunatorum.

QVi nuper misera Pauper sordebat in urna
Quod nunc egregia Dives in æde sedet.
Qui nuper lacero sqvallens centone rigebat
Sidonia quod nunc tergora veste tegit.

De his Gellius. & Ravi: Texter in officina lib: 2. *c:* 25.

Qui

Qui mendicato nuper ſe Pane cibabat
Magnificis hodie nauſeat usq; cibis
Tangeris invidia forſan, liuoreq; marces
Sive ſtupes aliquid forſan in Orbe novum?
Ambiguam ſortem, fallentia fata retorqves
Arguis ac cæcæ, Subdola Regna, Deæ,
Crede mihi nulla eſt dominans Fortuna ſub aſtris
Qvam vulgus cæcam, nititur eſſe Deam
Qui regit aſtra DEUS qui mundi regna gubernat
Jllius nutu cuncta venire puta
Ut primum cæpti crevere exordia mundi
Atq; ſatus limo paupere, pauper homo
Jllico primarum nata eſt mutatio rerum
Factus totius nam Pater orbis homo.
Necdum Roma ſuæ vidit faſtigia molis
Jam de pauperie conditor Urbis erat.
Romulus & Remus Latiæ caput Urbis, & orbis
Qui ſub Sylveſtri, vitam aluêre lupa:
Qui prius armenti cuſtos, Paſtorq; bubulci
Hic tulit in lydia Regia ſceptra *Gyges*:
Qui nuper, quæſtum quæſivit ab arte fabrili
Jlli in fortunæ, lignea verſa, rotam

Ecur-

Ecurru ſedulus fabrefacto dum *Telephanes*
Lydorum aſcendit, Rex faber ille, Tronum
Qui munus ſervile tetri lictoris obibat
Atq; pharetrophorum prætulit ante Cyrum
E famulo Princeps, Rex e lictore creatus
Pro pharetra, Regum *Darius* arma tulit.
Qui prius e ſpecula excubias *Ptolomæus* agebat
Arma pedes, tergo, nocte dieq; gerens
Ultimus ille pedes, milesq; gregarius ille
Jmperium *Ægypto* ſummaq; jura dedit.
Cæſaris Jmperium, cum navicularius eſſet
Ut portum tenuit návita, *Mandro* ſuum
Vita per ambiguos *Viriati* exercita caſus
Ut pila ludenti, pulſa, repulſa, manu
Qui modo Paſtor erat ducens armenta per herbas
Officioq; ſuum, paupere, traxit opus
Jam Venator acris ſaltu jaculisq; ſecundus
Mænalios velox conjaculatur apros
Qui modo morte feræ: Populi jam cæde cruentus
Vertit in humanam, funera latro necem
Hiſpanis tandem Princeps Dux primus in oris
Paſtor, Venator, qui modo latro fuit.

Jm-

Jmmundumq; gregem qui *Tamburlanus* agebat
Prætulit emotis, Regia ſceptra, Scythis.
Ruricola, cunas accepit *Tullius* æde
Atq; rudem pavit denſa per arva gregem
Paupere de tecto, contempto limine Paſtor
Jmperium rexit Roma ſuperba tuum.
Valentinianus torquendis funibus apto
E Patre progenitus, conditionis erat.
Hac de ſorte datus, per honoris fila levatus
Jmperii nactus ditia Regna ſui.
Ventidio Baſſo ſors ceſſit paſcere mulos
Hacq; ſibi parcum quærere ſorte, cibum
Hic tamen e Parthis legitur duxiſſe triumphum
Qui Prætor, Conſul, qui ve Tribunus erat.
Quintius, aggreſti qui ſolicitavit arátro
Et tardam duro vomere, vertit humum
Ad Roſtra à raſtris Latius Dictator abivit
Quaq; manu peras, hac tulit atq; Togam
Ut minimis, montes atomis, ſua culmina tollunt
Ut maris è modico gurgite, ſurgit onus
Ut tenui ſurgens clareſcit Phæbus ab ortu
Sic ſurgunt parvo, nomina magna, ſtatu

Non

Non igitur ſtupeas ad præſens creſcere parvos
Creſcendi exemplum cum vetus eſſe legas.
Sed, Qui de miſeris, homines Deus erigit altos,
Huic, non fortunæ Gloria amice. Vale.

ELEGIA VI.

Ad Quendam

De authoribus, qui ſua arte perierunt.

UT ſolet aſſiduis remorari eventibus Orbis
Et trudunt fatum fata, vicesq; vicē
Sic Tibi contigerit, ſi quis de caſibus, unus
Sive novus cupida, rumor in aure ſtetit
Jllico de tali caſu me ſcire volebas
Atq; datam retulit pagina amica Vicem
Quod ſemper recti: non fictum, pectoris, omen
Accepi: pariter, quæ nova nota dedi.

De his Ovidius Triſtium & in Jbin.

Et nuper memini mihi, Te ſcripſiſſe: volentem
Alterius mortem, morte periſſe ſua
Et quas inſidias ſtruxit, fraudemq; paravit
Jnſidiis ſtructo, captus & ipſe dolo
Eventus tales, cur demirêris amice
Vadat in authorem cùm ſcelus omne ſuum.
Ut pyrius pulvis fati violentior author
Jn nihilum fato vertitur ipſe ſuo.
Nec prius ipſe ſilex flammis exardet obortis
Quàm venas frangat, vel terat ima chalybs:
Occurrit, ſimiles caſus exemplaq; ſcribam
Reddat ut officium, littera noſtra, tuæ
Jn mortes hominum, & crudelia fata *Perillus*
Trux author: quondam talia buſta tulit
Fecerat ære bovem: juſſitq; animare favillis
Jlluc mittendos, voce boare, reos
Omne malum ſuperavit opus. Cauſaq; pericli
Primus in invento mugiit ære faber.
Sic juſſit *Phalaris* cuî, ſeu tormenta Tyranno
Diſplicuiſſe probat, qui perit arte ſua.
Hic *Traſillus* erat mortisq; necisq; repertor
Et tumuli præcox author in arte novi

Ju-

Jupiter, ut quoties terris præcluderet imbrem,
Sangvine perfundat quilibet hoſpes humum
Sic docuit: docti Præceptor dogmatis, ipſe
Nubila cum ceſſant ſangvine ſpargit humum.
Sic quoq; *Pygmalion* voluit: dum. numinis ira
Ardet [illegible] ſpargeret hoſpes [illegible].
Sors tulit, & numen, renuens intendere votis
Sangvine diffluxit, qui author, & hoſpes erat.
Jmpius humano *Diomedes* viſcere quondã
Queis ſe vectabat, paſcere juſſit equos.
Author en ipſe necis, dum fureret Herculis ira
Turpè ſaginatis paſcua miſſus equis.
Jcarus inventor primus calcator & uvæ
Qui docuit cyathis fundere Vina viros.
Author laudandus, cujus placet omnibus uſus
(Nam velut Jcarias quilibet haurit aquas)
Hoc tamen inventum, inventori ceſſit iniquum
Obruit authorem, turba biboſa ſuum.
Scyron trux latro, quo primùm inventore, receptus
Hoſpes ad invitas, miſſus abibat aquas.
Venit in authorem crimen, ſcüronq; ſub hauſtam
Queis alios dederat, præcipitatus aquis.

Accipe non aliam, moderantis Vindicis, iram
Vertit in authores, tela reversa, suos
Tu vero caveas nomen concredere chartæ
Quod juvat interdum subticuisse Tibi
Credidit incautus libris geminare Corinnam
Jngenio periit naso Pöeta suo.
Hoc tantum mònui quod me monuisse decebat
Non interdico scribere plura. Vale.

ELEGIA VII.

Ad Quendam Jngratum

De Exemplis Jngratorum.

CUi semper favi, fovi cui Pectus apertũ
Qui mihi de multis unus amicus eras.
Cuî, si Fortunæ Currum conscendere velles,
Ut conscendisses, bajulus ipse fui.

De his Ovidi: libr: 6. Ravisius Textor lib: 5.

Quam-

Quemve suâ Fortuna rota, si excusserit imùm
Jmpatiens, læsæ sortis & ipse fui
Quid quid in occulta secreti mente locassem
Conscius occultæ, tuqvoq; mentis eras.
Quid quid suppeteret, quo Te caruisse sciebam
Sortis erat nostræ contribuisse Tibi.
Et fueras certe gratus: nec vana dedisti
Tempore præterito jura sodalitii.
Nunc velut ad cursum qui se accinxisset anhelum
Jn tacta meta, fræna retorquet eques.
Aût veluti qui vela tulit, nans per mare nauta
Vix delibatis, vela remittit aquis.
Quam mihi spem dederas fruituro, pectore gratô
Protinus amissam per tua gesta facis.
Optima, sed rara est virtus persistere gratum
Ast ingratorum plurima Castra lego.
Quē Labirinthæ retulit de limine *Theseûm*
Jngratum experta est Dux *Ariadna* virum
Cui vitam, Regnumq; dedit, Patriamq; remoto
Hic Benefactricem littore destituit.
Demophoon Patrias Troja rediturus in oras
Usq; ad Treicias, hospes aberrat, aquas
Errantem *Phillis* sic Demophoonta recepit
Hospitio, cuî se, ac Regna regenda dedit

Pro-

Promisit mendax, nec Demophoonta redivit
Sic periit propriâ, Phyllis amata, manu.
Medææ tædas *Jason* juravit amicas
Jn cujus manibus, Vitaq; morsq; fuit.
At postquam sospes vitam, vellusq; recepit
Medæam thalamo respuit ille suo.
Herculis ut teneros studiis perfunderet annos
Factus Præceptor, dicitur esse *Linus*
Cui nunquam obsequii fuerat satis, atq; Parenti
Discipuli ingrati, ceditur ense Linus.
Ut Syracusanæ, rediissent libera, Genti
Regna, *Dion* fecit, consiliumq; dedit.
Pro merito, pulsus Patriâ, rursusq; vocatus
Præmia ab ingratis, fata necemq; tulit.
Persa *Cyrus Cræsum* victricibus obruit armis
Mox tamen acclini, Regnaq; & arma dedit.
Sed postquam Cræsus renovaret prælia campo
Nec veniam victo nec dedit arma Cyro.
Sponte *Artaxerxes Dario* sua sceptra remisit
Ut sobolem gratam posset habere Pater.
Darius ingratus; sceptroq; Tronoq; superbus
Cum Regno vitam sustulit ille Patri.

Anto-

Antonium Cicero defenderat ore diſerto
Quem voluit capitis culpaq; Roma reum
At defenſorem vitæ, lingvæ ~~tutelam~~ patronum
Antonius vita privat, & enſe ſecat.
Scipio devictæ bello Carthaginis author
Romano Populo Regna, trophæa dedit.
Gratane Roma fuit victori? de Duce tanto
Proſcriptus Patriæ finibus exul erat.
Portius atq; *Cato* famulos ætate gravatos
Obſequiis quorum, tardius ibat opus
Non meritâ, longos mercede rependerat annos
Sed venum dedit, aut juſſat abire foras.
Dum bellũ Civile furit: pereuntq; rebelles:
Annalis emeritæ quæritur atq; neci
Lucius ut raperet bona Patris, filius excors,
Umbris occultum prodidit ipſe Patrem.
Sic *Belliſarium* qui vicit Perſica Regna
Vandalicas Gentes, Peſtiferumq; Gothum
Qui Latios auxit fines, duxitq; triumphos,
Juſſit Cæſar trux, exoculaſſe Ducem
Corrupêre tuos exempla hæc peſſima mores
Jngratumq; mihi reddis amice caput
Non ego virtutem vitio mutabo perinde
Sis liçet ingratus, parco: precorq; Vale.

ELE-

ELEGIA VIII.

Ad Eundem

De exemplis gratarum Belluarum.

COnvenit eſſe hominem gratum: ſoliq; relictum.
Jmperium cûi eſt, à ratione regi.
His tamen officiis homines, animalia vincunt
Dixeris, hæc homines, hos ſecus eſſe feras.
Horum pauca Tibi ad præſens exempla notabo
Textorem, ſi vis diſcere plura, lege.
Nicia Theſſalicis notus Venator in arvis
Fovit pervigiles ad ſua juſſa canes.
Per ſaltus nemorum dumoſaq; culmina montium
Dum ſequitur Cervos, dum jaculatur apros
Pervigil auriti comitatur turba moloſſi
Et premit arreptæ terga reverſa fugæ

De his Raviſius Lib: 7.

Jn-

Jnvia non tardant ramosæ obstacula sylvæ
Prompta ruit Domini voce animata sui
Jnterea Dominus rauco comitatus in ore
Dum revocat fusos per nemus omne canes.
Jncidit in foveam nemorosa fronde sepultam
Hocq; viam casu perdidit ipse suam
Destituêre feras, Domino reticente, molossi
Nare legens factum, turba reversa, dolum
Compatiens Domino sylvam latratibus implet,
Prompta suam testans, si valuisset opem
Nicia dum fovea eluctari non valet alta
Extrahit arrepta veste molossus herum.
Non steterat tanti canibus data parcior offa
Cum grato tenuit dente pericla canis.
Ætas prisca *Thoam* colubrum fovisse fatetur
Permisisse suos incoluisse lares.
Cum tamen ille Draco plus formidabilis esset
Extulit in longum, cauta pericla, nemus.
Jnde redux, colubro sylvis nemoriq; relicto
Latronum, subiit præda petita, manus
Quid faceret? contra tot vires viribus impar
Cui non auxilium, nonquoq; tela viro

Jnclamat! Coluber noto clamore recepto
Advolat auxilium, res inopina, ferens
Confeſtimq; truces fugat in diverſa latrones
Jllæſo, reduci, ſub ſua tecta, Thoa.
Transfuga ab obſequiis Lybicis *Androdus* in oris
Se cæco nemorum condidit ille ſinu
Cumq; dies multos tenebris erraret in illis
Hinc Dominum metuens, inde timendo feras.
Ecce novum caſum miſero; ſubitosq; timores;
Obvius exanimi trux tulit ore Leo
Nulla fugæ in promptu, defenſæ copia, nulla,
Exſpectat certam, certior eſca necem,
Jnterea ſævo, poſito, Leo, pectore, ſupplex
Rugitu blandas aſſimilando preces.
Tollit humo laceram prægrandi ſtipite plantam
Jnfixumq; pedi, monſtrat ineſſe ſudem.
Stat dubius, mediisq; ſimul terroribus auctus
Tangere; trux ferus eſt, nolle: ferinus erit.
Certior Androdus medeatur nec ne Leoni,
Jnde ſecuturam non minus eſſe necem
Extrahit hærentem lato de vulnere ſtirpem
Emungit læſum, pure fluente, pedem

Ut

Ut ſenſit medicam plantæ ſuccedere dextram
Vulneris & ſævi, deſiit eſſe dolor
Surgit in Officium gratati muneris, imâ
Hippocratem timidum devenerando juba
Nec medicum Sylva vult prætermittere in illa
Hic quocunq; ſuum vertit & ille pedem.
Obſeqiis inſtat prædam venatur & eſcam
Suppeditans Domino pabula prompta ſuo
Totus in obſequio plures tranſegerat annos
Ac tandem capitur, prædafugata Leo.
Androdus demum vacuam pertæſus Eremum
Amplius & famulo non redeunte ſuo
Tendit in obliqvum, qva ſe fuga flexerat arvum
Nil ſtructæ fraudis, nil metuendo doli.
Interea cuſtos calles vallaverat omnes
Ut nulla arreptæ, ſit via facta, fugæ
Ducitur ad Dominum. Sententia dicta fugaci
Deſertor Domini, ut corruat ungve feræ
Jndoluit! fidum quondam timuiſſe Leonem
Nunc immanſveti, juſſus ab ore mori
Ergo feris plenum vinctus defertur in antrum
Et datur emacidis eſca cupita feris.
Jnclamat! fremuere feræ: ſua pabula quisq;
Ad ſua vota rapi, nititur ungve Leo.

Obſtitit, ut vocem clamantis inaudiit ille
Androdus fuerat cuî medicîna pedi
Fortior audentes pugnans petit ungve Leones
Huîc, quem ſanaſſet præripiendo necem
Prodigium! pugnare feras! vitamq; tueri
Judice quæ fuerat non revocanda suo.
Quæritur Androdus? dextrum qua ſorte Patronū
Damnata in cauſa ſic meruiſſet? ait:
Huic plantam Lybica ſalvavi à vulnere ſylva
Pro tanto gratam munere reddit opem
Dicitur ergo levi filo traxiſſe Leonem
Gratam perpetuo ſic habuiſſe feram.
Et tu ſermoni bene quodſi faveris iſti
Semper ero grato, gratus amice. Vale.

ELEGIA IX.

Ad Quendam

De Exemplis hominum à Bestiis nutritorum.

NUper in aprico dum verſaremur amice
Et dederant lætam mutua verba diem
Ser-

Servandæ ſobolis primoq; ex ungve ſovendæ
Jllo, materiam, tempore, ſermo dedit.
Diximus hac alitum corpus conſiſtere ſorte
Cui nutrimentum dant alimenta bonum.
Tu memini; ſubita veluti novitate retentus
Rem mihi narraſti, quæ Tibi mira fuit.
Dives opum inſignis famâ, titulisq; Senator
Ubere quod n..tas paſcere mandet equæ
Jntuleram: Auguſtum Regem ſuxiſſe Leænam
Qui vires hauſit Regibus inde pares.
Tentabam in ſimili plures annectere caſus
Sed qui condiderat ſidera veſper erat.
Quem quoniam nuper nondum perfecimus æque
Sermonem: ſcriptis accipe quæſo meis.
Non nova res hæc eſt: veteres exempla notarunt
Nutrices hominum ſæpe fuiſſe feras.
Accipe Cretæa, Puerum, ceu fertur in Jda
Ubere nutrivit ſedula capra *Jovem.* —
Hic tamen emulſis caprino lacte papillis
Pendula, fulmineis terruit aſtra, globis.
Herculeam Prolem Telephū de conjuge Nympha
Jnter Dumoſos accipe flere rubos

De his Politia: in Nutri: & Raviſius Textor.

Cum-

Cumq; Parens teneram ſurda capit aure querelã
Educat hunc proprio, lactea Cerva, cibo
Et *Paridem* Princeps potuiſſet paſcere nutrix
Attamen huic mammas præbuit urſa ſuas
Armentalis equæ mammis lactata *Camilla*
Jlla tamen Volſcis regia ſceptra tulit
Ægyſtum Pelopea ſuum nutrire recuſat
Capra dat amoto pabula, lactis opem
Perſiacisq; *Cyrus* ſceptro Regnator in oris
Non habùit natus, regia pocla, puer
Aſtyagis nutu canibus projectus in eſcam
Jnfantem pavit mamma canina Cyrum
Remulus & Remus Martis fortiſſima Proles
Hæc quoq; Sylveſtris, viſcere paſta lupæ
Abjectos fratres geminos *Paraſiumq; Lycaſten*
Exeſo pavit viſcere torva lupa.
Jcariam ſobolem Genitorum à pectore pulſam
Penelopes volucres ſuſtinuere cibo
Penelope hinc dicta eſt, quæ quondam eſt arnea dicta
Unde cibum, nomen ſumpſit & inde ſuum
Plura Tibi authores referent exempla legenti
Unde ſcies homines, enutriiſſe feras.

Hu-

Humanoq; alimenta ori, mammasq; dediſſe
Nec tamen his hominis degeneraſſe cibis
Nam niſi ſuſtentant vitam, viresq; miniſtrant
Et non transformant corpora, lacte feræ
Si crudele ferumq; putas ſic paſcere prolem
Pejor nutricis forte papilla tuæ
Nulla eſt naturæ quæ vincat Beſtia legem
Corrupit mores perfida mamma bonos.
Convenio tecum mores exſugere matris
Quæ mater prolem quam peperiſſet, alat.
Non tamen eſt omnis mater, quæ nutriat apta
Et quæ nutricis non ſibi poſcat opem
Archemorū Regem Thracū, non provida Mater
Nutrix Hypſiphiles lactis alebat ope.
Ulyſſem pariter lactavit Ericlia nutrix
Cum non poſſet Dux ubere matris ali.
Æneam teneris favit Cajeta mamillis
Et puero nutrix, pro vice Matris erat.
At tu quod natis optes, his collige dictis
Quoq; voles pueros ſuſtinuiſſe modo
Eſt melius ſi mater alat; bene ſi bona nutrix:
Non nocet & mundæ paſcere lácte feræ
Horum quid quid agas, nonſum perſvaſor agendi
Quod ſenſi ſcripſi: Tu modo vive. Vale.

ELE-

ELEGIA X.

Ad Uxorem

De Exemplis Bonarum & malarum mulierum.

NOn vertas vitio, mea quod Tibi epiſtola defert
Diſcola quod mulier ſit: Bona ſcire poteſt.
Cum bona ſis, fugiasq; malæ conſortia, certe
Non lædet mores, fæmina prava, tuos
Non eſtis omnes ſimili levitate notatæ
Nec ſemper virtus omnibus una ſubeſt.
Sunt certe plures mala quas exempla notarunt
Sed magis exempli, fæmina rara, boni
Neſcia quid ſit amor, quid Hymen rariſſima *Daphnis*
Cui vel Apollineus non ſit honoris amor.

De his P. Gas: Knitel: in conci: in Domi: Virgi: lib: II. ænei: Ovi: Seneca in Hercule: Cælius, Volater: Raviſius.

Ra-

Rara eſt *Penelòpes* bis denos caſta per annos
Quæ absq; Ulyſſe ſuum ſervet amata torum.
Rara nefas ſuperata pati *Lucretia* caſta
Ut luat improprium, fuſa cruore, ſcelus
Portia rara ſciens Brutum extinxiſſe Philippos
Carbones rabidis faucibus hauſit amans
Rara eſt *Evadnes* Canapæi conjugis uxor
Corpus in accenſos quæ jacit ipſa rogos.
Rara eſt *Alceſtis* quæ dum cita fata mariti
Audit ab augurio jam fore certa ſui
Ne quis ob Admeti libet ſua fata ſepulchro
Pro vita Admeti conſecrat illa ſuam.
Sunt quas præſenti virtus ætate notavit
Et claras digno nomine fama probat,
Attamen has inter paucas, rarasq; pudicas
Plures, virtutes ſcis vitiaſſe ſuas
Nec non eſſe proba reliquis virtute minores
Ac prorſus læſis moribus, eſſe malas.
Quæritur? Uxores quidam cur quinq; teneret
Quærere, reſpondit: ſe voluiſſe bonam
Tum Judex; dubium lictor caput abſecet, inquit:
Non eſt hoc: alio quærat in Orbe bonam

Democritus ſapiens nuptuî quærendo maritam
Duxit, quæ reliquis corpore parva fuit
Mirantiq; refert: tam parvula membra ſodali
Elegi minimum, quod foret inde, malum
Hoſti quod ſponſam dederitve Protagora natam
Pejus, ait: dare ſe non potuiſſe malum.
Nempe malum majus quam ſit mala fæmina non eſt.
Quæ legi neſcit ponere jura ſuæ
Nam vitio ſi fræna ſemel permiſerit, inde
Non eſt cui ſceleri deneget illa locum.
Sed velut effractis eqvus irrequietus habenis
Paſſibus effuſis tendit in omne nefas
Jmpia regnandiq; tenax quo *Tullia* currit
Nec proprium paſſa eſt ſceptra rotaſſe Patrē
Nec cupidam Genitoris amor, reverentia terret
Movit in adverſum pectus & arma Patrem
Cùm ſuper exſangvi præceps Quadriga ſtuperet
Proſtrati currum duxit in ora Patris
Subdola, ferre diem ſibi ſceptra *Semiramis* unam
Fertur ab incauto ſolicitaſſe *Nino*
Vix uno conceſſa die moderamina cæpit
Cum vita rapuit regna petita viro.

Quem non tela, neces, non bella agamemnona vincunt
Clitemnestra ferox opprimit ense virum.
Sic Uxor Fabio, fæde lasciva marito
Crudelem legitur conciliasse necem.
Agrippina Viro, sibi quem sociaverat ultro
Ut læthum biberet, toxica fraude dedit.
Albinas triginta duos, habuisse maritos
Et totidem legimus morte necasse viros.
Danaides quadraginta novem tenuere maritos
Unâ, omnes crudæ, nocte, dedere neci
Sed quid ego veterum præsens exempla notabo
Quæ juvat ingenuis non meminisse magis
Sunt: quibus exemplum stat pro ratione nocendi
Excusat vitians, non ego prima fui.
Jnnatum reliquæ quodsi posuere pudorem
Et plus tentatæ, quàm decuisset erant.
His quoq; me similem, quid tum? quod fama loquetur
Scribet posteritas & mea facta leget?
Cur tamen id faciant si vis cognoscere Consors
Atq; malas potius, quam libet esse bonis.
Scis ut inaccessis dum primo aptatur habenis
Jmpatiens flecti fræna remordet equus

Vel cum portando ſinuatur Taurus aratro
Excutit impoſito, colla reverſa, jugo
Jmperiumq́; ſibi imponi Dominumq́; recuſat
Adq́; ſuum tendit velle redire procax
Sic ſibi præpoſitum non vult ſentire maritum
Fæmina, ſed cuperet ponere jura viro.
Dum quoq́; vir ſapiens caſtam vult eſſe puellam
Atq́; probam in clauſa detinuiſſe Domo
Virtutem invidiam cenſet; multisq́; placere
Quamvis non licitis vult male ſana modis.
Laudis amans: odit celebrent quam conjugis ora
Jnclyta ſed toto, quærit ab orbe coli
Turpe putans, calidè ſi non ſit grata colenti
Proſtituit laudi, molle cor, illa ſuæ.
Si novitatis amans? vult ſemper compta videri
Prodiga juratam, vendit inaure fidem.
Has præter cauſas, mala dant exempla licentiâm
Fingitur exemplo fæmina cera malo
Et vitium normam; levitatem credit honeſtum;
Atq́; polituræ, garrula verba, novæ.
Non ideo hæc ſcribo, ceu Te feciſſe notarem
Moribus his virtus eſt aliena tua
Sed velut odiſti, ſi quid mala fæmina peccet
Hortatu melior ſis ut amica mea.

Diîs

Diîs ego vota fero, pro Te mihi conjuge rara
Exemplo ſimilis fæmina rara cui
Et poſt fata mei, talem Te noverit umbra
Ac ne pæniteat forte fuiſſe meam.
Sic tua vult probitas, ſic noſtri jura merentur
Quod laudêre meo, ſic tua fama libro
Ante prius noſtros plores chariſſima manes
Læta diurna mihi ſæcula vive. Vale.

ELEGIA XI.

Ad Amicum

De Exemplis veræ Amicitiæ.

FÆdus, amicitiæ ſi quæris quid ſit amice
Solus in alterutro pectore, & unus amor.
Axe micans Phæbus nitidis licet emicat undis
Attamen eſt unus ſidere, & unus aquis.

De his Ovidi: lib: 2. de Ponto. Cicero in Lælio. & in officiis. Hora: Virgi: lib: 9. ænei: Raviſius.

Non

Non duo sunt speculo quamvis videaris ut alter
    Una sed est speculo, quæ tua forma viri
Sic licet in gemino, geminum sit corpore, pectus
    Jn geminis tamen est unus & unus amor
Semper amicitiæ veræ fidelis amici
    Una fides, Pietas, unus amoris amor
Diverso studio nunquam rapiuntur amantes
    Mens illis eadem, Consiliumq; & idem.
Quid quid amat primus, sic diligit alter amatum
    Exosumq; sibi primus ut alter habet.
Jllum si faciat felix fortuna beatum
    Hic putat, & sese divite sorte frui
Hujus si pulsent lapsa infortunia sortem
    Jnfortunatus dicit & alter ego.
Non evitat amans vel mille pericula amici
    Quassatamq; licet scandit uterq; ratem.
Vita illis eadem, fato moriuntur eodem
    Damnum seu lucrum, velleq; nolle & idem.
Sic *Pilades* charum dilexit amicus *Orestem*
    Quorum unus gemino pectore vixit amor.
Rapturum fanum Pilades comitatus Orestem
    Suscepit Socios Taurica Terra duos.
Solus erat, qui fana tulit prædator Orestes
    Perstat uterq; nocens Judicis ante forum

Que-

Quæritur illorum qui nam ſceleratus Oreſtes
Laturus meritæ, colla cruenta neci
Ecce novum veri quondam certamen amoris
Mentitum Pilades Nomen Oreſtis habet.
Jnq; vicem proprium teſtatur nomen Oreſtes
Jnq; vicem Pilades Nomen Oreſtis habet,
Quæritur? & quis nam ſcelus hoc commiſerit? inquit
Primus, ego feci: dicit & alter, ego
Et quis ab ultrici quæruntur? procidet enſe?
Hic dicit: moriar: clamat & ille, cadam.
Sic dubio luſere foro, ſuccinctus uterq;
Fædus amicitiæ, claudere morte, ſuæ
Pythîas dum certæ author proditionis habetur
Carcere, Supremam clauditur ante diem
Hoc caſu *Damon* miſerandi motus amici
Sponſor amicitiæ pro vade Vincla ſubit
Necdum diſpoſuit Fortunam, resq; Domumq;
Pythîas decretæ, devenit hora neci
Ridetur Damon ſtulte confiſus amico
Jnſons pro nocuo ſuppliciandus amor
Jntrepidus Damon, nec mortis poſſe timore
Affirmat lædi fædus amicitiæ.

Du-

Ducitur ergo mori: mortem ſuperoccupat ille
Hac teſtaturus, quid ſit amica fides.
Pace ſeu bello, fortuna ſive periclo
Jndiviſus erat *Nyſus* ab *Eurialo*
Cum Turno Vincente fugam ſequeretur uterq;
Cæditur hic fugiens, Victor at ille fuga.
Nyſus in adverſos fugientia fræna revertit
Et ſuper Eurialo; victima amoris obit.
Et non abſimili Pomponius indole Gracche
Fertur amicitiæ detinuiſſe fidem
Arguitur Gracchus populum exciviſſe rebellem
Hoſtem ideo Patriæ, Lege Senatus habet.
Quæritur enſe neci: Pomponius obviat enſi.
Morte ſua celeri ſubveniendo fugæ
Auſus Pirithoum Theſeus comitare ſub orcum
Jnfereis junctam teſtificando fidem
Hactenus Empireo fulgent duo lumina Cælo
Pollux & Caſtor, binus & unus amor.
Non eſt firma fides, ſolidus nec candor amici
Non niſi felices ducere i amore dies.
Dum fortuna favet, blanda ſors affluit aurâ
Addicto placidæ corde favere Deæ
Dum tonat & navis violentis mergitur undis
Orbatâ remis velle natare rate.

Dum

Dum tabulata ruunt non ſe ſubducere tecto
Hæc eſt vera fides hic ſocialis amor.
Tuquoq; tam multis nobis compertus ab annis
Non ſatis officio reddis amice tuo.
Nuper ego morbo graviter laſſatus acerbo
Angebam tetrico, membra relapſa toro.
Et non adfueras, qui ſolarêris amice
Ægro, qui præſens, ſana medela fores.
Non niſi quo premitur detrectat Taurus aratrum
Quosq; diu findit, langvet arator agris
Deficit in curſu denſas qui calcat arenas
Et roſa quæ nimio toſta calore cadit.
Noſter amor dubito tibi quod gravis eſſet amico
Non onus eſſe putat, quiſquis amatus, amat
Si bene faviſti cur ventis vela remittis
Aut cupis in medio naufragus eſſe mari?
Non opus eſt ferro pro me merearis acuto
Jnfereasq; petas, ſidereasq; domos.
Dum modo conſtanti faveas candore, dediſti
Pignus amicitiæ, quod dare nemo poteſt.
Ut ſis in numero, quos conſtans fama notavit,
Hoc quo cæpiſti tramite perge. Vale.

ELEGIA XII.

Ad amicum Militem

De Exemplis Bellicoſorum.

DUm Belli faciem, rigidum conſidero Martem:
Pænitet in molli ferre duella metro.
Ferreus eſt mavors cataphracta caſſide torvus
His tamen exuviis, aurea corda gerit.
Horribile eſt bellum, rapidisq; furoribus ingens
Hoc tamen in campo, Gloria ſceptra metit.
Jmmortale ſibi plantat mors parta trophæum:
Et non decreſcens vulnere fama fluit.
Es felix ideo, Mavortia caſtra ſecutus
Et factus Patriæ prima columna tuæ
Leges conſervant Patriam: ſed & arma tuentur
His tranquilla diu: tuta ſed enſe manet.
Conſilium pacemq; domi, dant otia Leges
Dilatant forti, Regna, ſed arma, manu

De his Sext: aure: Cæl: C. *12. lib: 6. Herodo: lib: 6.*
Sabel: Raviſius Textor.

Le-

Lege etenim ſcimus fortunam ſtare diurnam
Jntegra Libertas nonniſi ab enſe manet.
Jnterdumq; ſilent Leges & Jura Quiritum
Dum crepat horriſonus martis ad arma fragor
Jnter pallentes umbras cædemq; cruentam
Devictor Mucro laurina ſerta metit.
Non eadem laus eſt, tincæ mordacis ad inſtar
Hiſtoricos tetrica rodere mente libros
His legitur campo qui movit bella cruento
Jpſe ſtupens Lector molle ſedile premit
Non eadem laus eſt pneumatica prodere verba
Arctaq; nodoſis verba ligare modis
Quæ! belli campum, quæ ſævi martis arenam
Sangvineis telis enſeq; arare truci.
Pellere magnanimam cæſo de corpore vitam
Alterius, dempta, vivere, morte, ſuam
Jnflictum fuſo vexare in ſangvine vulnus
Siſtere monſtroſo, pectora nuda, viro.
Quæ tunc mens? animus clipeatam cernere meſsē
Denſaq; multiplici caſtra referta viro.
Stant Turmæ, Cunei, Legiones atq; Phalanges
Hinc phalerata cohors, inde caterva minax
Hinc belli corpus pedites; equitatus in alis
Hinc armata manus, velitis inde globus.

G2 Stant

Stant in fronte Duces, medium quoq; signifer ambit
Centurio latus est, Terga Tribunus habet.
Hinc celeres Equitum, fortes peditumq; magistri
Hinc veteranus acris Tiroq; abinde celer.
Hinc munitores, Balistariiq; volones
Hinc tecti Caculæ, Dimacha, & inde Calo.
Hinc tormenta rigent, nimio prægnantia plumbo
Hinc Balista minax, hinc ariesq; ferox.
Bombardæ, Sclopeta, hastæ, catapulta, bipennes,
Hinc frameæ, gladii, spicula, pelta, micant.
Adversum phaleræ, galeæ, Loricaq; cassis
Cudones parmæ, scutaq; & umbo, thorax
Hinc Cataphracturæ, hastati, hinc equitumq; capistra
Vix non Vulcani pænus in arma ruit
Fluctuat effusam vexilli copia in auram
Tanquam vorticibus fluctuat unda maris.
Hastarũ innumerus numerus strepit, infremit, ardet
A ventis veluti Pinus adacta cedro.
Arma corusca tonant, & machina fulminat ætra
Pulvereæ nubes, astra diemq; tegunt.
Tympana cum reboant, rugit mons, sylva remugit
Fit fragor & clamor, stridor & ira dolor.

He-

Heros Heroi, lateri latus, atq; pedi pes
Jungitur adverſis pectora adacta viris
Hic ſecat, ille cadit: perſtans urgetur ab illo:
Hic fugit: hic ſequitur: clamat, & ille dolet.
Sangvine terra madet, perſtringit ſidera terror
Pelluntur; animæ, corpora trunca jacent.
Seminecesq; gemunt: plaudunt à vulnere tuti
Diverſas peragit ſcena cruenta vices.
Hic tergit ſparſum, fuſum bibit ille cruorem
Hic laudat vitam, vulnera at ille ſua.
Feſtivum peragit Victoria parta triumphum
Et numerat factam, quanta? mucrone necem
Quando Paleſtinam ſubvertit *Coſroa* Perſes
Tunc nongenta ferunt millia cæſa virûm.
Dumq; rotat Cæſar victricia prælia: perdunt
Scipio Myriades quinq; Catoq; virûm
Trux Hieroſolymam quando ſubverterat hoſtis
Undecies centum millia, fuſa virûm
Dum Ladislaus Turcis dat prælia campo
Quadraginta uno, millia cæſa loco
Dum Saracenorum Rodericus Caſtra fugaret
Septingenta ferunt millia ſtrata nece.
Quid numerem invicti lethalia funera Xerxis,
Quid Darii pugnas, horrida Caſtra Cyri,

Mitri-

Mitridatisq́; Codri victricia ſigna Philippi
Et tot Victorum prælia Caſtra Ducum
Poſt-humus hos celebret faſtis victricibus Orbis
Æternumq́; gerat gloria parta, decus
Tu modo campiducum qui promptus juſſa capeſſis
Hos inter primos annumerêre Duces.
Jnterea Patriam capto tutare mucrone
Ac hoſtem contra ferrea corda gere.
Audiſti Scævam plectentem crimina dextræ
Nonne fuit Patriæ victima dextra ſuæ?
Hic Cleophanus erat Latii dexterrimus heros
Stans in equo rectus, ſpicula rectus agens.
Accilius miles vix viſi roboris heros
Audaci tenuit qui hoſtica tranſtra manu.
Cui cum tutanti, reſecatur dextera, ferrô
Alternans tenuit, tranſtra, ſiniſtra manus.
Hæc quoq́; prenſa ratem valido dum ſcinditur enſe
Dentibus arripuit, transtraq́; merſit aquis.
Sergius heroam perdens poſt vulnera dextram
Pugnavit ſocia terq́; quaterq́; manu

Ex

Ex ferro tandem dextram conquirit, & illa
Cum Gallis miles prælia multa tulit.
Jlle fuit *Cocles* qui forti pectore Etruſcos
Unus ſuſtinuit, telaq; multa tulit.
Nec prius admiſit ſtratum conſcendere Pontem
Donec ſubjectis pons legeretur aquis.
Ut quoq; Tu famam, nomen mereare perenne
Hiſtoriam ſimilem ſcribe mucrone. Vale.

ELEGIA XIII.
Ad Amicum
De exemplis annorum Calamitoſorũ

CUr modo feſtivas non pingvia fercula mẽſas
Denſaq; nec Bacchi pocula, amice gravent.
Quæris? in annona nam præſens deficit annus
Atq; boni ſupereſt copia nulla meri
Fructifero partu ſterileſcens gleba laborat
Atq; latus vacuum marcida ſpica gerit

De his Auſonius. Lucanus. Plini: lib: 3. *C:* 37.

At

At non ignoras? tum dum vernarct ariſtâ
Jndueret primas flore virente comas.
Acria pubentem ſtrinxerunt frigora Ariſtam
Toſtus & à cano flos fuit ipſe gelu.
Tum, dum maturis, ſeges alma reſurgeret arvis,
Pelleret agricolæ culmus ad arma manum
Humidus aſſiduis profluxerat imbribus hædus
Et navit plenis, campus aratus aquis.
Jnde reſurgebat lolium, crevêre labruſcæ
Vix inter tribulos agnita ſpica ſtetit.
Et magis in ſalebras ſegetes abiiſſe putares
Quam grani; fuerit mollis ariſta, ferax
Et tunc dum meſſis collectis ſtaret acervis
Suppoſitisq; capax horrea adire rotis
Proflua continuis ſtillarunt nubila nimbis
Jn ſibi damnoſis; ſpica meabat, aquis
Ante ſuum tempus nondum decocta putrebat
Ex præcox nato germine germen erat.
Hinc tenuis fructus, macilentaq; grana maniplis
Atq; uno ſtadium quæritur in modio
Hinc multo veniunt conſveta foralia nummo
Et mus, non omnis, quo capiatur, habet.
Jdcirco hoc anno non quævis menſa ſuperbit
Ac abeunt parcis prandia noſtra cibis

Vina-

Vinaq; quæ quondam Mereoticá, cæcuba, parvâ
Hungaricis nobis merce, fuêre plagis
Nunc caro pretio muſtum defertur acerbum
Et non uva modo eſt, ſed niſi paſſa ſitis
Sed quid conquerimur præſentia ſæcula & annum
Quô nobis ſterili, res venit arcta, domo
Experta eſt quondam ſimiles antiquior ætas
Et fors majori clade notata dies.
Saguntina fames, Peruſinaq; grandis egeſtas
Venturis memori nomina dicta fame
Dum Rex Cambyſes fortiſſima caſtra moveret.
Æthyopum tendens frangere colla jugo
Tanta fames fuerat, mordax penuria frugum, ut
Debuerit decimus miles abire cibo.
Annibal obſeſſum fame dum compreſ-
ſerat hoſtem
Bis centú nummis mus pretiandus erat.
Emptor erat ſalvus qui vitam mure levavit
Debuerat vendens procubuiſſe fame
Sic Calàguranam tenuit Pompeius ur-
bem, ut
Supplerent vetitum, nata, marita, cibum
Sic Huños legimus mordax obſedit egeſtas
Queis fuerant crudi, pabula lauta, canes.

Jtaliam populante Gotho: cum deficit esca
Progenito mulier viſcere, paſta famem
Pellibus è clipeis tractis vixêre famentes
Barulidæ, Galli cum vetuere cibum.
Dum Mediolanum numeroſis Sfortia caſtris
Cingeret, annonas, enſe vetante, negans
Vicenis modius frumenti venerat aureîs
Pro tanto pretio qui quoq; rarus erat.
Demetrius cum bella gerit, dum mænia cingit
Tercentum Drachmis cōnſtiterat modius
Mille ſtetit drachmis modius: Dictator athenas
Sylla coarctata dum obſidione tenet.
Jlla fuit noſtris ætas infauſtior annis.
Difficiles fructus hic tamen annus habet.
Plebs vaga fallenti ſpatians per compita paſſu
Continuam laſſa voce requirit opem
Cum nequeat caram, portans in tergore, prolem
Emendicata ſuſtinuiſſe ſtipe
Et caram ſobolem & morientia pignora mittit
Non niſi ab ignota, ſuſcipienda, manu

Cui

Cui quoq; florebat cumulata, copia, pænu
    Ante novam frugem, gramina ſcabra coquit.
Tu vis ut prima, comedam Patrimonia menſa
    Nec videam ſimiles poſſe cavere vices.
Vivitur è modico melius: moderataq; durant.
    Tu felix ſi ſic vivis amice. Vale.

ELEGIA XIV.

Ad Eundem deferentem fugacem famulum.

De exemplis ſervorum fidelium erga Dominos ſuos.

NOn adeo gratam ſuſcepi literam, amice
    Quæ mihi de famuli, nuntia facta, fuga
Qui venit obſequii compos, volo: noloq; ſi quis
    Nolit in obſequiis promptior eſſe meis.
A Domino ſervus pacta mercede recepta
    Qui fugit, hic ſequitur fata, malumq; ſuum

De his Raviſius Textor in Thea: Philo: Lib: 4. Cap: 13.

Et bene quod fugiat Dominũ moneatve quid esset
Certe nequitiæ, non ego servus ero.
Qui Dominus famulum cupit asservare dolosum
Hic Dominus famuli, servulus ipse, sui
Sunt famuli quos rite voces Dominantis amicos
Obsequium præter, qui quoq; corde favent
Accipe quod narro: proscriptus *Restio* quidam
Ancius, evitans fulmina lata, fugit.
Prosequitur servus Dominum fugientem, & in umbris
Occulit, occultum de stipe pauper alit.
Utq; Satellitium, Dominum perquirere sensit,
Abdere compertum nec potuisset herum
Utitur in subito casu bene fraude doloq;
Quem casus dederat supprimit ense senem
Ac ut in occiso Domini simulare cadaver
Posset, in accensam proiicit ergo Pyram
Festine tandem Lictoribus obvius: inquit:
Hoc qui ardet Dominum se tumulasse rogo
Jlle ministerio qui me vexabat, & addit:
Sic à me pariter suppliciandus erat.
Elusus Lictor, Dominus protectus; amantis
Exemplum famuli, sæcula nostra legunt

Stru-

Struxerat insidias Augusto Cepio Consul
Ac ad promeritam quæritur inde necem
Abdidit in cistam Dominum ad Tiberimq; relatū
Jn patriis servus cautus alebat agris.
Naufragio tandem durante, Neapolis Urbe
Occuluit proprium servus amicus herum
Jnterea capitur servus, Dominumq; latentem
Cogitur ut prodat, si sua vita placet.
Fata, necem, pretium quoq; Centurione ferente
Noluit his stimulis, prodere servus herum.
Seleucum quidā gladio trans fixerat hostis
Nec valuit servi fallere dextra necem
Quid faciat servus, fato percussus herili
Cui vindicta sui, corde stetit Domini
Obsequiis hosti Domino se jungit amico
Aptam vindictæ, prospiciendo diem
Cæna fuit, vacuumq; armis ubi servus habebat
Jllatam Domino vendicat ense necem.
Æmula Pompeii Phalanx inimica Cluentiûm
Jncautum insidiis, cæperat illa suis
Jndoluit servus: tum ne simul ambo ruissent
Jn Pompejanas, præda cruenta, manus
Figit Hero gladium: magis hoc censendo decorū,
Libera, quam si hosti sub juga colla daret.

Vive-

Vivere nec voluit Domino moriente ſuperſtes
Jpſe ſuper ſtrato funere, funus agit.
Ex aventino Gracchus cum fugerit, aptæ
Europus famulus fit comes inde, fugæ
Jnſequitur Gracchum manus armis cincta fugacē
Europus Dominum corpore & ore tegit
At poſtquam Dominus denſis cecidiſſet ab armis
Europus Domino ſe ſuper, ipſe necat.
Quæritur *Urbinus* morti, quibus atq; latebat
Jn campis, iſthinc, cingitur inde globo.
Quid faciat ſervus? Domino fuga nulla relicta
Reſtat & à turba, ſubveniente mori.
Nox erat: & famulus veſtes indutus heriles
Jn Domini thalamo membra quieta jacit
Jrruit Urbinum quærens ad fata caterva
Et falſum in famulo ſupprimit enſe reum
Promeruit ſtatuam, quam mox Urbine dediſti
Sed furcam, qui me deſerit atq; fugit.
Jnterea grates refero Tibi dulcis amice
Qui ſervi profugi me monuiſſe facis.
Jd facis ex toto, redamo quod, corde, viciſſim
Te nunquam obſequium deſerat, opto Vale.

ELE-

ELEGIA XV.
Ad Mecænatem
De Exemplis Eorum qui in Gratiis fuere.

SInt licet innumeri, parcos ego credo Pòétas
Qui grates tantum tres numeraſſe ſciunt
Quas charites græco dixerunt nomine, priſci
Chara etenim ſemper gratia quæq; venit.
De Jove prognatas fingunt Genitore: *Thaliam*
Æglen Paſytheam pignora grata Patri
O! Ego millenas vellem Tibi pendere grates
Vellem millenis reddere vota modis.
Non totidem Cajo Trajanus munera *Pliniò*
Mecænas Flacco grandia dona ſuo
Nec totidem Stilico numeravit præmia Vati
Nullus tot retulit munera plena Cliens
Quanta tuo veniunt nobis de munere dona
Jmmeritumq; caput, gratia quanta tegit.
Pindarico multum benefecit Pana Pòétæ
Ampeloo favit Bacchus & ipſe ſuo

De his Ovidius lib: 4. *Triſ: Cicero in offl. Virg: lib:* 9.

Divi

Divinusq; Hyacintho multum favet Apollo
 Quem & Brancho Templum ſacrificaſſe ferunt
Herculeus Pater Abderum ſibi junxit amore
 Et poſt fata ſuum, flevit amator Hylam
Hæc ego pauca reor, peperit quæ fabula: Vere
 Tu majora mihi, tu mihi plura facis.
Hæc eſt magna nimis, nimioq; potentior auro
 Gratia, quæ, ex hilari pectore, prona venit.
Jlla ferunt juſtum venientia munera pondus
 Et dare, quæ velox, & data ſator amat.
Si penſabo animum dantis, ſi pectus apertum
 Dicam Te multis, plura dediſſe bonis
Acciperes veluti, quoties tua munera ferres
 Nam Tibi mens eadem quæ dare & accipere.
Sunt, quos mille preces, millenaq; verba fatigant
 Et pulſat clauſas, dextera egena, fores
Aut nihil, aut ſero, flagrantia vota reportant
 Vix fusâ, conſtat munus inane, prece
Tu cum muneribus præcurris vota precantum
 Et bene, ſit quamvis nonpetiêre, facis
Eſto licet multis, multum te effuderis ingens
 Omnibus his retuli plus tamen unus ego
Si numerem data dona? dies non ſufficit unus
 Hæc ævo vitæ ſunt numeranda meæ

Nec

Nec ſatis id fuerat, mihi Te tam multa dediſſe
  Innumerisq; Tibi promeruiſſe bonis
Cor quoq; quod coram ſervat tibi pectore vita
  Ad mea ſi liceat cor quoq; vota dares
Unus ego fueram mentis Poſſeſſio firma
  Unus Poſſeſſor cordis, & oris ego
Ore, ſeu calamo, ſi quis ſequeretur honorem
  Nemo Tibi viſus, me meruiſſe magis.
Non ego præ reliquis, quid quid tentare ſtudere
  Feci: ſolius tu mea facta probas.
Si quis in alterius properet decurrere laudes
  Alterius laudes ducis honore meo
Si quid ab adverſo famæ trahat aura ſiniſtræ
  Senſibilis jactas vulnus id eſſe tuum.
Quis tibi nunc ſimilem, priſco quis monſtret in ævo
  Qui bene cum faciat, tam bene qui faveat.
Non unum munus ſed ſunt duo munera dantis
  Qui dat dona manu, qui quoq; corde favet
Quas igitur laudes referam! vel quas tibi grates:
  Par cum ſit certè gratia nulla tuæ
Tot tibi ſint grates, quot ſunt in ſidere ſtellæ
  Stellaq; quot radios quælibet una gerit.

Tot tibi ſint grates, quot ſunt ſuper æthere venti
Quotq; leves atomos quælibet aura gerit.
Tot tibi ſint grates, quot condunt æquora piſces
Undaq; quot guttas, quot mare fundit aquas
Tot tibi ſint grates, Tellus quot corpora nutrit
Granaq: quot ſervat mollis arena ſinu
Tot tibi ſint grates, quot habent animalia ſylvæ
Quotq; arbor densâ, folia fronde gerit.
Tot tibi ſint grates, ſegetes quot germinat æſtas
Et quot grana, tumens ſpica papaver habet
Tot Tibi ſint grates nivibus quot Bruma niteſcit
Quotaq; delapſæ, denſa pruina, nivis
Tot Tibi ſint grates, annus quot circuit horas
Et qnot habent ſcriptas, Biblia ſacra, notas.
Dum Fortuna vehet felicia munera ſortis
Opto tuo ſiſtat limine, prima rotam
Dum ſol ſurgentes radiis aurabit ariſtas
Primus, belle tuis ut videatur agris
Dum ſegetes tepidi nimbi roresq; beabunt
Hoc, caleant fruges, rore cadente, tuæ
Et dum parturiet fructus Pomona feraces
Jmpleat hæc Hortos fructibus ampla tuos.
Floraq; cùm pulchris primùm revireſcet in herbis
Ornet prima ſuis culta vireta roſis

Non

Non tua percutiat nix, grando, tecta procella
Exulet hinc Aquilo, frigidus auster erat.
Este procul nimbi stagnanti more cadentes
Et Leo qui calida, sauciat arva, juba
Este procul febres, morborum examina, pestes
Et dolor, & mæror, sit procul inde timor
Jnteger & prosper, felicibus utere sæclis
Attingat nullum Teq; Tuosq; malum.
Non satis ut felix, felicia sæcula vivas
Nestoris opto Tibi sæcula vive. Vale.

SUPPLEMENTUM

De Vera DEI PROVIDENTIA, in CONRADO III. Lupoldo sive Lampoldo Comite, Ernesto Duce & Friderico, elucente.

Godefridus in Chronicis, & Crusius.

PRincipibus curis, hæc est contermina virtus
Flectere prudenti, subdita Regna, manu
Conrado Virtus eadem: qui Cæsare sceptro
Regnavit sapiens, Jmperiumq; tulit.

Jllius Europam pulſabat tempore mavors
Regnaq; diſtraxit per fera bella furor
Quà quà *Conradus* felicia protulit arma
Jn Belli campo, victor ubiq; ſtetit.
Has præter dotes, rigidus fuit author in illos
Qui excuterent Domino colla ſuperba jugo
Turpe putans illos, qui privant Regna quiete
Felices alta reddere pace reos.
Certe, jus ſceleri ponit qui crimina parcit
Audet & in majus culpa remiſſa nefas.
Floruit Jmperio *Conradi*, nomine primus
Lupoldus quidam, divite ſorte Comes.
Huic Fortuna parem Generi produxit Honorem
Æmula Principibus cûi foret Aula viris
Utq; ſolet Fortuna ſuo præſumere niſu
Et nunquam fixo, ſtare ſuperba, loco
Lupoldum majora ſibi promittere fecit
Tentaret, contra Cæſaris ire Tronum
Nec deerat natura ſuis conatibus, ambit
Ac clandeſtinos cæpit inire dolos.
Sed veluti fumus tenuis non occulit ignem
Sic quæ non pateant, abdita nulla latent.
Forte dolos ſenſit Cæſar: *Lupoldus* ab inde
Conrado, arcanum jam patuiſſe ſciens.

Tum,

Tum, quod trux tales fuerit *Conradus* in auſus
Et venia eſt ſimili, nulla remiſſa, dolo
Mente cadit: cæpitq́; atris mæroribus angi,
Quà poſſet vitæ conſuluiſſe ſuæ
Ratio nulla ſubeſt, placandæ Cæſaris iræ
Aut occultandi, mænia nulla, ſui
Cæſar adeſt: latos quamvis evadat in agros
Quamvis ſe claudat limine, Cæſar adeſt.
Proiicit ergo DEO, Qui providet omnia, ſeſe
Qui ſolus miſeri certa corona viri.
Permutat Tyrios, pro paupere tegmine, amictus
Jnduit abjectam Ruricolæ ſpeciem
Et nulli, præter Conſorti arcana revelans
Quam Comitem celeris cenſuit eſſe fugæ
Collectas deſertat opes, Caſtellaq́; & Urbes
Jnq́; ſalutiferum, ſe rapit ipſe, nemus
Jnſvetâ, ignarâq́; operum indociliq́; ſecuris
Elegit vitam, ſuſtinuiſſe manu
Heu! caſus Fortuna tuos! ſic tollis in altum, ut
Præcipites; inflas & velut aura fugis.
En! faber, ille Comes, qui argentea tecta colebat
Agreſtem in ſylva fabricat actor haram
En! Comitiſſa tener, quæ ſerica penſa legebat
Jmportat molli tergore, ligna foco.

Pul-

Pulcher honos vultu cecidit, cecidere decores
Et veluti vivum tota cadaver agit.
Fumoſus facie, barba, intonſisq; capillis
Creditur in ſatyrum degeneraſſe Comes
Talem ſylvicolæ plures traxere per annos
Vitam, quæ quamvis mortua, vita fuit.
Ut tamen in miſeris adſunt ſolatia rebus
Et ſolet afflictis appropiare DEUS.
Tunc Comitiſſa gravis fætu, ſolatia Patri
Promiſit miſero, tempore ferre brevi
Hîc ubi confertas expandit Svevia ſylvas
Atq; ubi montivagæ percrebuere feræ
Venaturus apros, Cæſar diverterat illuc
Retia ducta, ſagax juſſus abire canis
Caſſibus umbroſæ vallantur & obſide ſylvæ
Veſtigat pavidas turba canina feras
Hinc illinc volitant impulſæ in retia Damæ
Fulminat hinc illinc dente protervus aper.
Hi, vulpes agitant canibus, trans rete fugaces
His, jaculis mordax præda petita venit.
Hîc ubi Cæſar erat Cervus pede præpete curſum
Fecit in obliquum transfugiendo nemus.

Nec

Nec mora præcipites Cæſar dimittit habenas
Jnſequitur fuſam, per juga celſa, feram
Per ſaltus, Dumeta, ſinus latebrasq́; ferarum
Nec non per trepidæ pervia luſtra fugæ
Jnvolat in tenebras nemoris, denſosq́; receſſus
Hic ubi cervus abeſt: nemoq́; ſervus adeſt.
Longius à famula diſceſſerat ille Caterva
Et nemo advertens, qui ſequeretur, erat.
Jnclamat famulos: vox non auditur ab illis
Qui quoq́; dimotis ſe rapuêre viis.
Arripuit cornu, quod forte pependerat armo
Auritos rauca voce ciendo canes
Nil juvat inflatum cornu, nil clamor anhelus
Excipit at vacuos, ſylva ſecreta ſonos.
Quid faciat dextram ne petat, repetat ne ſiniſtram?
Seu recto ignotum tramite carpat iter.
Jn dubio eſt Cæſar: nox incubat atra diei
Occiduos ſolis veſper habebat equos.
Sponte viam permittit equo: quo duxerit ille
Hoc, Cæſar voluit ſe tenuiſſe loco
Non procul interea Lupoldi gaza jacebat
Jnter dumoſos, gaza ſepulta rubos.
Utq́; erat indocili gaza hæc fabricata Magiſtro
Fiſſuris ideo tota patebat hara

Tunc

Tunc forſan tenui, micuit ſcintillula, rima
Exerrans gazam, qua duce Cæſar adit.
Et quis tam denſas (interrogat:) incolat umbras?
Exeat hoſpitio me teneatve ſuo.
Ac feſſo deſcendit equo petit intima gazæ
Et videt hirſuto tecta habitata viro.
Lupoldum Cæſar forma non noſcit in illa
Lupoldus noti Cæſaris, ora videt.
Expetit interea Cæſar, langvente quiete
Hôc, quo ſors dederat limine poſſe frui.
Quis tunc *Lupoldo* ſenſus? quæ jurgia cordis?
Et quæ commoti pugna moleſta animi
Hinc timet: admiſſus Cæſar, ſermone recepto
Lupoldi Comitis ne notet ora ſui
Hinc vindicta placet, datus ac in retia Cæſar
Et modus adverſum plectere poſſe caput.
Sed magis in miſera *Lupoldus* ſorte modeſtus
Quàm licet adverſi in fata cruenta ferox
Suſcipit anguſta *Conradum ſede*: deditq;
Prandenti quod tunc cæna habuiſſet olus.
Jncubuit Somno Cæſar ſuper aſſere nudo
Jn thalamo credens ſe jacuiſſe ſuo
Somnus habet Regem: partu Comitiſſa gravata
Jn Patris, natum fuderat illa ſinum.

Heu

Heu ſortem miſeram! Comitis cunabula pauper
Cento tegit, laceræ, lintea vela, togæ
Non ſupereſt nutrix, tepidis Pater ambit in ulnis
Progeniem, natæ ſed ſimul ille timet.
Proruit in lachrymas: digito monſtrando jacentē
Hôc ſtas ſive cadis Cæſare, parve puer.
Ut ſomno laſſos Cæſar commiſerat artus
Sic natalitii neſcius ille jacet.
Jnterea Cælo vox lapſa reverberat aures
Qui natus, tuus eſt Filius atq; Gener
Evigilat natamq; videt, fere tempore prolem
Quô vox inſolitum fecit in aure ſonum
Deſpicit errantis Cæſar mendacia ſomni,
Et rurſus placido membra ſopore tegit.
Sed quia vox fuerat veraci nuncia Cælo
Et non mendacis, ſomnia falſa, ſoni
Rurſus *Conradum* ſomno vox excitat alto
Hic natus tuus eſt Filius atq; Gener.
Eripit inſtanti *Conradus* Lumina ſomno
Atq; ſtupet: quid nam vox iterata, notet.
Naſcitur en video, ſed carbonaria proles
Ergo vir natæ ſubditus iſte meæ?
Cæſar ego: Domus alta mihi, mihi Regna, Senatus!
Pauper fumosâ naſcitur iſte domo

K Cæ-

Cæſaris ergo Gener ſylveſtris hic Jncola Ruris?
Cui venit aggreſti ruſticitate genus?
Aut me ſomniferæ ſcænæ deludit imago
Aut faciam, vocis ne exitus acta probet.
Jndignabundus veſanam concipit iram
Deſtinat innocuæ membra, tenella neci:
O! ſtolidas mentes hominum! præſcindere velle
Quod DEUS arcanis ordinat arbitriis.
Vix ſolis prædux Aurora, refulſerat aſtris
Jam Cæſar curſu præpete carpit iter.
Veſtigat famulos, pariter quæſitus ab illis
Et coeunt Domino pectora fida ſuo.
Jncrepuit ſegnes, lateri quod nullus adeſſet
Nullus & amiſſum quærere ſciret Herum
Jnterea è famulis quos ſciverat eſſe fideles
Avocat in partem, certaq; juſſa refert.
Adjurans: recitat trepidæ præſagia noctis
Et qua noctabat, mandat adire Domum
Jmperat infantem ſubito præſcindere ferro
Et cor ab exciſo pectore, ferre jubet.
Heu! bene tranſactæ, crudelia præmia, noctis
Et data Conrado, morte repenſa quies
Accurrit juſſus Lupoldi in limina miles
Mandatum Regis promptus obire ſui.

At-

Atq; ait: hac qui nocte diem próspexerat infans
Hic vester: jussit Cæsar ut ense cadat.
Tum Genitor scisso, fundens suspiria corde
Verba dedit, vocitans: illacrymante genâ.
O! miseram Genitorum sortem! o fulmina cōrdis!
O! vitæ funus! tartareumq; nefas!
Ergo mori mandat sub primo limine natum?
Cæsar, & è cunis busta dolenda facit?
At necdum solem vidit, jam nocte profunda,
Noster amor, miserûm, contumulandus erit.
At non regna movet: non hostica prælia ducit
Qua causa posset promeruisse necem
Herodis renovat crudelia crimina Cæsar
Expertem sobolem criminis, ense necat
At tener est, fortes pueri expectate lacertos
Non decet in parva figere tela nece.
Jrriguas lachrymas Genitorum fudit uterq;
Quas pleno in pueri, fonte dederê genas.
Jnq; vices dederant luctantia & oscula labris
Supremum, inq; vices ambo dedere vale
Funestum pignus lacrymisq; oculisq; sequendo
Ut gelidum marmor mansit uterq; Parens.
Miles in umbrosæ puerum fert abdita sylvæ
Aptum truncando prospiciendo locum.

Jnterea infantis dum reſpicit ora puelli
Saxea, qui poſſent corda movere, oculos
Vagitumq; Oratorem audit, lacrymasq; loquentes
Et ſine commiſſo crimine flere genas
Ex animo miles cecidit: cadit ira mucronis:
Et veniam puero corda miſerta ferunt.
Arboris interea patulæ ſub fronde locatum
Servandum ſummo conſtituêre DEO.
Cæſaris ut poſſent immania fallere juſſa
Cor tepidum leporis dextra cruenta tulit.
a
Laudavit Cæſar ſedulo mandata ſequentes
Et bene promeritis præmia juſta dedit.
At DEUS infantem proprii ſub jura *favoris*
Suſcipit atq; alium providet ipſe Patrem
Dux Alemannorum *Erneſtus*, diſceſſerat illo
Tramite quo parvus vagiit ore puer.
Subſtitit audito gemitu, mox mandat ephebis
Quærere plorantem per latebras ſobolem
Jnveniunt puerum prona ſuper arbore ſtratum
Quemve recens natum faſcia parva tegit
Ut vidit puerum formoſa fronte decorum
Et cui non humiles ſors dedit alta genas

Exul-

Exultans animo: non me ſine prole Parentem
Eſſe volunt Cæli, quem voluere diu
Nam ſine prole fuit multæ ditionis abundans
Et fortunati Dux Dominusq; ſoli.
Nominis hunc ſucceſſorem ſimul atq; nepotem
Et cumulatarum Dux ſibi ſignat opum
Ac ut communem res poſſit fallere famam
Conſortem gravidam ſe ſimulare jubet
Optatumq; brevi : natum peperiſſe, Parentis
Qui longum nomen poſſet habere ſui
Plauditur à Populo, ac *Erneſti* nominis hæres
Dicitur *Henricus* Patris imago ſui
Henrici egregios *Erneſtus* moribus annos
Erudit ad ſummæ, culmina prima, Domûs
Jnſtruit ac docilem generoſam ad magna Juventã
Carus adoptatæ Prolis amorq; Parens.
Et cum magna videt primi molimina floris
Æſtatemq̀ſpei ſe tenuiſſe putat.
Anni ſe volvunt, *Henricus* prævenit annos
Forteq; bis ſeptem triverat ille hyemes
Cum *Ravenspurgum*, Patris inclyta limina Cæſar
Functus amicitiæ jure, reviſus adit.

Prin-

Principis *Henricus* iam nato nomine pollens
Officium accepti Cæſaris, ipſe ſubit.
Et non difformi generoſum obit indole munus
Admirante iſtud Cæſare, Pubis onus.
Cum melius penetrat Cæſar ſapere alta Juventam
Hæſitat: *Erneſti* ſtirps ne ſit ille Tori
Si non ille Gener ſylveſtri indagine natus
Quem ſomnus voluit, Cæſar at eſſe negat.
Livor edax tacito tangit præcordia motu
Et penetrat timidas horror ad usq; fibras
Poſt epulas, ſtomacho jejuno à Cæſare ſumptas
Colloquio binis devenit hora viris.
A longe Cæſar: gratando Prolis honorem
Optaret ſtricti pignora vera Tori.
Prolis adoptatæ non ſemper nomina regnant
Addit: & à Patribus degenerare ſolent.
Erneſtus rabido quaſi tactus fulmine ſpondet
Henricum proprio ſe genuiſſe toro.
Non fidit Cæſar: rodit præcordia morſus
Henrici mores, pulchra Juventa premunt.
Adjurat miſſos *Henrici* in fata miniſtros
Num puerum certæ ſuppoſuêre neci?

Fida

Fida manus jurat, ſecuit quod pectoris ima
Corq; dedit juſſæ ſigna cruenta necis.
Necdum *Conradi* vacuos gerit impetus artus
Henricum fixa vult ſepelire nece.
En! reprobi ſenſum! poſt conſcia funera, mortē
Alternas agitat conciliare neces.
Ut genii Cæſar fuerat, mentisq; profundæ
Et novit ſenſus abdere corde ſuos
Supplicat: eximios *Erneſtus* prolis amores
Dignetur lateri conſociare ſuo.
Excuſat teneram *sub* munia tanta Juventam
Erneſtus: robur non ſibi ineſſe capax
Sed Cæſar tacitum, meditatus pectore, fatum
Nulla convinci ſe ratione valet.
Henricum, ſecum Rheda devexit in una
Arcano tacitum corde gerendo dolum.
Ut ſpartam ingreſſus fuerat, cum Cæſaris aulam
Jngenio dives, munus ad omne celer
Nil ſervile ſubit: ſed quæ ſunt ſumma capeſſit
Digna, tener, gravibus, prenſitat acta viris
Cæſare, quid quid agit, dignum eſt: non mollia tractat
Sed grave ſed ſummum, totus anhelat opus

Hæc

Hæc ſuper obliqua Cæſar ſe fronte reflectit
Atq; animi dotes ingeniiq; ſtupens.
Non ſibi perſvadet: ſylveſtris at omine ſomni
Henrici, Generum, nomini ineſſe ſuum
Erneſtus multos ſine prole redegerat annos
Fecerat & ſterilem publica fama Torum
Sic ſibi *Conradus*: fors carbonaria proles
Mentitur dignam fæda propago Domum
Hic ne ſub falſo, poſt noſtram, nomine, vitam
Præſumat natam Cæſareumq; Tronum
Sancio tollendum. Sors prævenienda neceſſe eſt,
Ne ſit ſylveſtris *Filius*, *atq;* *Gener*
Tunc *Auguſta Aquisgrana* reſidebat in arce
Dum tereret longam Cæſaris aula plagam
Hæc loca quæ fuerant à Conjuge diſſita: Cæſar
Jnvenit *Henrici* proximiora neci
Exarat tabulas, ſola à Conſorte legendas
Henricus ferret quas, in honore dedit.
Fecerat & certum: *Auguſtæ* meruiſſe favores
Cujus, deveniet littera noſtra, manu.
Jnterea certam referebat Epiſtola mortem
Henricusq; ſibi neſcia fata tulit

Cæ-

Cæſare perſvaſus, tituloq; allectus Honōris
Magnificum, curſu præpete, munus obit.
Jam longum dimenſus iter, terrasq; fatigans
Spirnensi, itineri, fecit in Urbe, moram
Jnviſens Cathedram, ſubviſit tecta Decani.
A cujus cultu rite receptus erat.
Jnter ſolennis Bellaria mollia menſæ
Henricus propria proſperitate bibit.
Ac inter cyathos, permiſſa pace; Decanus
Filius *Ernesti* quæritat, hîc quid agat?
Cæſaris *Henricus* Legati munus obire ad
Auguſtam ſe ait: & ſtemmate dicta probat
Jnſuper hoc voluit, me Cæſar munere fauſtum
Addit: tanti Actor muneris, hoſpes ego
Tanto magis Baccho menſas Prælatus inundat
Quo magis *Henrici* munera digna videt.
Auguſti Auguſtæq; ſimul, per pocula clangunt
Longævæ vitæ claſſica: vivat Jo!
Jncutit *Henrico*, feſtivum menſa Papaver
Somnificæq; data eſt hora diurna, moræ
Ut lecto jacuit veſtem laxavit: aperto
Eminuit latitans ſcripta tabella, ſinu

L Pro-

Proſpera quæ ferret, tactus novitate Decanus
Attentat ceram, non vitiando notas.
Et legit: ah! certam Juveni fert Pagina mortem
Non meritamq; legit pagina cruda, necem.
Hoc allegorico pollebat Epiſtola textu
Qui potuit ſenſu reddere verba, novo
Qui Tabulas Auguſta meas Tibi deferet, illum
Fac certæ morti nubere Sponſa, Vale.
Prælatus ſtupuit non dignam Cæſare chartam
Jndignam *Henrico* quæ ſibi ſcripta, necem
Jndole permotus Juvenis, fatalia verba
Eradit: Natam pro truce morte locans.
Qui Tabulas Auguſta meas Tibi deferet, illum
Fac caræ natæ nubere Sponſa, Vale
Oblinit: & panſæ Veſtis ſupponit in Oſtrum
Henrici interea pectora ſomnus alit:
Forſitan exactæ defluxerat hora quietis:
Admonet *Henricum* turbida cura viæ
Evigilat, veſtem emendat, palpatq; tabellas
Conſcius ipſe viæ, conſcius ipſe ſibi.
Jngentes reddit grates & verbá Decáno
Pro ſibi collatis corde, quiete, cibo

Pro-

Propoſitumq; celer tractis iter urget habenis
Quod, quoniam brevior meta tenebát iter.
Venit ad *Auguſtæ* regnata Palatia miſſus
Ac tabulas humili porrigit ipſe manu.
Ter legit chartám: Juvenis ter ora reviſit:
Ter iuvenis rubuit, ſpeq; ter álter erát.
Poſt lectás acceptus erat ſed pro hospite Princeps
Additaq; eſt famulæ fida caterva manus.
Nec mora: adornantur feſtæ ſponſalia tædæ
Atq; ſacer Myſtes vincla daturus adeſt.
Pompa brevis quamvis, Genero ſed Cæſare digna
Jnter feſtivum pompa peracta diem
Poſt Hymenæi Aras, poſt ſacrá jugalia tædas
Poſt thalámi fædus, Conjugiiq; faces
Jnſtituit Regina ſuo deferre marito
Quod fuerit Genero reddita nata viro
Exarat tabulam. *Tua ſic mandata marite*
Perplexo quamvis tempore conor ego
Juſſiſti caram neomiſſo nubere natam
Nata, tuo iuſſu facta marita, Pater
Accelera, ſponſosq; ſuo ſolare Parente
Auguſtæ, Auguſtum redde marite precor
Ut legit Cæſar contraria verba tabellæ
Quam nuper propria ſcripſerat ipſe manu

Exſangvis riguit, totoq; expalluit ore
Jra, dolor tepidas perfricuere fibras
Clamat equos, conclamat iter, Rhedamq; parari
Jmperat & ſubitam corripit ipſe viam
Fama tamen prior Aqvisgranum venerat. Ergo
Aptantur ſponſi limen obire viæ
Quod, poſtquam Cæſar tetigit cum ſupplice cultu
Usq; ad Cæſareos, ſe poſuêre pedes.
Obſtupuit dubiæ, iam vera exempla, tabellæ
Proq; nece *Henricum* jura tenere Domûs
Vix ſibi, vix illis, rabidæ vix temperat iræ
Vix præconceptum non vomit ore nefas
Emicat ad conclave celer, ſed fulminis inſtar
Jgne calens, furias froteq; & ore minans.
Ergone? ad *Auguſtam* fatur: tu juſſa mariti
Calcas? tu nomen, meq; tuumq; nigras?
Ergo ne? ſylveſtri ceſſit mea Nata colono?
Succeſſorq; meæ, lurcoq; fæxq; Domus?
At ſcripſi, tabulas qui noſtras adferet, ille
Certa morte cadat, promptaq; fata ferat.
Tu noſtram vitam ſponſaſti pro nece natam
Meq; infamaſti Cæſareumq; Torum
Pallida: ſed gracili reſpondit voce marito
Auguſta & miſſas teſtificata notas

Juſſi-

Juſſiſti Cæſar: nec ego tua juſſa fefelli
Perlege pro nata ſunt tua verbá Pater.
Jmpatiens, mentisq́; ſuæ bene conſcius, audet
Porrectas oculis peruolitare notas.
Atq́; legit: *Tabulas noſtras qui deferet, illum*
Fac caræ natæ nubere Sponſa. Vale
Divinum miratus opus, portentaq́; Cæli
Jras dimiſit pectore, fronte minas.
Convocat *Erneſtum*: rogat, obſecratq́; fateri
Num fuerit verus filius iſte ſuus
Erneſtus gaudens *Henrici* ſorte, fatetur
Et Juvenem in ſylva ſe reperiſse refert
Adiurat famulos Henrici in fata remiſſos
Hi quoq; ſed leporem ſe ſecuiſse ferunt
Et puerum Pinûs patulæ ſub fronde relictum
Arbitrio ſummi deſeruiſſe DEI.
Tunc, ubi natus erat, juſſit perquirere ſylvam
Jn qua vox ſonuit, quærere rite domum
Sylvicolam Dominumq́; Domus conducere mandat
Quæ ſine quæſita, juſſa peracta, mora
Ducitur ille ſenex lucis pertæſus & auræ
Cuî fecit miſerum vita moleſta ſtatum.
Lupoldum faſſus: pænæ mortisq́; timore
Ob meritos auſus, hoc petiiſſe nemus.

Hunc

Hunc & non alium, quem vox prædixerat, & quem
Damnata voluit Rex periisse nece
Esse suum Generum Cæsar videt: esseq; natum
Lupoldi Comitis, Genteq; stirpe bona
Sed quis? Divino nutu mandante, tabellas
Raserit? eversas substituitq; notas
Hoc mentem Augusti tenuit. Spirnensis abinde
Prælatus veniens, tum veniamq; petens
Occultam tabulam se permutasse fatetur
Arcano mentem sic stimulante DEO.
Ergo gravi posito, mutatus, pectore Cæsar
Suspiciens Cælos in gemitusq; fluens.
O! DEUS! exclamat! quem Sanctis protegis alis
Hunc nullus Cæsar fataq; nulla prement.
Post hac Divinæ, quæ providet omnia, curæ
Quæ placido nutu, cuncta futura regit.
Pectore percusso, Fasces, Regnumq; Tronumq;
Et natam & Generum reddidit ille DEO.

Errata Typi, Sic leges.

Folium.	*Versus.*		*Erratum.*	*Emendatum.*
F. 4.	v.	8.	Ortyguis	Ortygius.
f. 4.	v.	10.	Bachus	Baechus.
f. 7.	v.	11.	athenæ	Athenæ,
f. 8.	v.	3.	ſed quis	ſe quis.
f. 11.	v.	7.	Tartarea	Tartareâ
f. 12.	v.	1.	Lethe	Lethen.
f. 13.	v.	16.	flumina	fulmina.
Jbidem			manis	manes,
Jbidem	v.	23.	flumina	fulmina,
f. 14.	v.	11.	Noctiginæ	noctigenæ.
f. 15.	v.	15.	nec ſatus	nec ſatur.
f. 17.	v.	4.	locis	jocis.
f. 19.	v.	6.	ſophum	Sophun.
Eodem	v.	17.	naſonem	Naſonem.
Eodem	v.	22.	obiret	abiret
f. 21.	v.	3.	Quod nuper	Qui nuper.
f. 25.	v.	3.	de claſibus	de caſibus.
f. 27.	v.	21.	ſciironq;	ſcironq;
Jbidem			hauſtan	haſtam.
f. 28.	v.	5.	incautis	incautus.
f. 29.	v.	1.	quam ve	Quem ve.
Jbidem	v.	10.	in tacta	intactâ.
Jbidem	v.	17.	Labirinthæ	Labirinthæo.

(1) f. 31.

Folium.	*Versus.*	*Erratum.*	*Emendatum.*
f. 31.	v. 3.	lingvæ	lingvæq;
Jbidem	v. 8.	Proſereptus	Proſcriptus.
Jbidem	v. 23.	vieio	Vitio.
f. 32.	v. 10.	Corvos	Cervos.
f. 33.	v. 14.	cum grato	Cûm gratô.
f. 35.	v. 22.	è macidis	emacidis.
f. 43.	v. 1.	agam emnona	Agamemnona
Jbidem	v. 7.	duas	duos.
f. 4.	v. 11.	ſuccinitus	Succinctus.
f. 48.	v. 8.	Eurajalo	Eurialo.
Jbidem	v. 14.	celebri	Celeri.
f. 49.	v. 10.	dici	diu.
f. 30.	v. 1.	regidun	rigidun.
f. 56.	v. 20.	ſtudium	ſtadium.
f. 60.	v. 14.	diderat	dederat.
f. 62.	v. 17.	didiſti	dediſti.
f. 66.	v. 5.	quod	quot.
Jbidem	v. 16.	tuus	tuis.
Jbidem	v. 21.	Pamona	Pomona.
f. 69.	v. 6.	himane	limine.
f. 76.	v. 3.	Vagitumq;	Vagitum.
f. 77.	v. 9.	tantum	natum.
f. 84.	v. 14.	froteq;	fronteq;.

M. Lubieniecki